MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80135-31

AUTHOR:

BAAR, JOSEPH

TITLE:

DE BACCHIDIBUS PLAUTINA QUAESTIONES

PLACE:

MONASTERII...

DATE:

1891

Master Negative #
91-80135-31

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Baar, Joseph, 1861-
De Bacchidibus Plautina quaestiones, dissertatio...quam...scripsit Josephus Baar... Monasterii Guestfalorum, Ex officina Theissingiana, 1891.
63 p. 22 cm.

Thesis. Kiel.
Vol. of theses.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 2/8/91 INITIALS D.T.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

DE BACCHIDIBUS PLAUTINA QUAESTIONES.

Dissertatio inauguralis
quam
auctoritate amplissimi philosophorum ordinis
in academia Kiliensi
ad summos in philosophia honores rite capessendos
scripsit

Josephus Baar
Wettrupensis.

Adversarii:

Ericus Klostermann, cand. phil. et theol.
Otto Mensing, Dr. phil.
Alfredus Moeller, cand. phil.

Monasterii Guestfalorum
Ex officina Theissingiana.
MDCCCXCI.

1891/92 Nr. 10 imprimatur:
Prof J. Lehmann,
h. t. decanus.

I.

De principio Bacchidum[1]) deperdito.

De Plauti Bacchidum exordio etiam post egregias Ritschelii eorumque qui eum secuti sunt curas iterum nos scribere nemo mirabitur. Lubrica enim quaestio est tota fere posita in coniecturis, quae multorum tantum frequenti atque assidua epicrisi aliquantum possit promoveri.

Scaena I, 1, quae nunc incipit ,Quid si hoc potis est, ut tu taceas ego loquar', ante aedes Bacchidis I, quae Athenis habitat, agitur. Colloquuntur inter se Bacchis I, Bacchis II, quae soror Bacchidis I est, Pistoclerus, adulescens Atheniensis. Sed recte Ritschelius docuit, Bacchidem II et Pistoclerum non inde ab initio fabulae in scaena adfuisse, sed utrumque in aliqua scaena deperdita ad Bacchidem I adiisse; Bacchidem II enim eo tempore, quo fabula incipit, postquam cum Cleomacho milite, a quo pro annua mercede conducta esset, Samo profecta Athenas appulisset, ad sororem se contulisse, ut eius opera a milite liberaretur; Pistoclerum autem a Mnesilocho per epistolam Epheso missam Bacchidem, quam in peregrinatione adamavisset, Athenis quaerere iussum, in scaenis, quae perierunt, et Bacchidem I et sororem eius cognominem, amicam Mnesilochi, invenisse. Qua de re inter omnes nunc constat. Sed si quaeritur, uter

1) Numeri versuum in fabulis Plautinis quas Ritschelius et socii ediderunt, secundum horum, in ceteris secundum Ussingii rationem exhibentur.

prior in scaenam advenerit, Bacchis II an Pistoclerus, — id quod ad sensum et ordinem fragmentorum recte constituendum ad eaque distribuenda plurimum valet — dissentiunt viri docti; Ritschelius[1]) enim eumque secuti Ussingius[2]) et Tartara[3]) Pistoclerum primum Bacchidem I adiisse putant, multo post Bacchidem II; contra Ribbeckius[4]) Bacchidi II priorem locum vindicat, nisus ille quidem nova interpretatione versuum:

‚Illa mea cognominis fuit‘ 9.
‚Sícut lacte láctis similest.‘ 19.

‚Ulíxem audivi fuísse aerumnosíssimum
Qui víginti annis érrans a patria áfuit.
Verum híc adulescens múlto Ulixeum ántidit:
Qui hic ílico errat íntra muros civicos,‘ 5—8.

— — — — — — — — cór meum, spés mea,
Mél meum, suavitudó cibus gaúdium, 27—28.

Sine te amem — — — — — 29.

Certum enim videbatur Bacchidem I fr. 9 loqui,[5]) dum Pistoclerus iam in scaena conspicitur, Bacchis II nondum adest;[6]) Ribbeckius autem fragmentum illud partem prologi esse vult, quem Bacchis I, dum initio fabulae sola adest, ad spectatores docendos dixerit. Sed Ribbeckii opinioni multum inest offensionis. Nam primum non solum spectatores opus fuit de nomine sororis certiores fieri, sed etiam Pistoclerum, quippe qui initio

---

1) Opusc. II, p. 292 sq. „Die ursprüngliche Gestalt der Plautin. Bacchides.“

2) In editione sua.

3) ‚De Plauti Bacchidibus commentationis,‘ p. 51 sq. (Pisis 1885).

4) Mus. Rhen. 42, 111 sq. „Ueber die verloren gegangenen Scenen der Plautin Baccides.“ (1887).

5) Servius cui hanc versus particulam debemus, adnotavit: ‚Cum una de Bacchidibus diceret: Illa mea etc.‘

6) Etiam Goetzius (videas quae adnotavit p. 8 editionis ab ipso recognitae) fr. 9. Bacchidi I cum Pistoclero colloquenti attribuit.

partis I, 1 traditae dicat: ‚Quid agunt duae germanae méretrices cognómines?‘ Unde apparet eum sorores cognomines esse iam cognovisse. Deinde verisimile non est, Plautum qui non solet bis idem dicere ita rem instituisse, ut in prima scaena Bacchis I spectatores sororem suam eodem nomine appellatam esse doceret dein paulo post iterum sorores de nominis communione ad Pistoclerum verba facerent. Qua de re quid sentiat ipse indicat cum Poen.[1]) IV, 2, 98 sq. Milphionem servum dicentem facit: ‚Ibo intro: haec ut meo ero memorem: nam huc si ante aedes evocem,

‚Quae audivistis modo, nunc si eadem hic iterum iterem inscitiast‘,

et Pseud. I, 3, 153—154. Pseudolum Calidoro interroganti: ‚Cedo mihi, quid es facturus?‘ respondentem facit: ‚Temperi ego faco scies. Nolo bis iterari; sat sic longae fiunt fabulae.‘

Sed quominus suspicemur, Pistoclero iam ante fabulae initium Bacchidem I innotuisse, ut non ignoraverit, Bacchidem II, amicam sodalis, et I sorores cognomines fuisse, impedimur scaena I, 1 ubi Pistoclerus duarum meretricum blandimenta adeo timet, ut in aedes earum intrare nolit, itaque colloquio, quod sorores et Pistoclerus scaena I, 1 inter se habent facile intellegitur, Pistoclerum nondum domi Bacchidis I fuisse neque eam ad id temporis cognovisse.

Quae cum ita sint, fr. 9. prologo Bacchidis I attribuere non licet sed cum Ritschelio (p. 348) iudicabimus, his verbis Bacchidem I. Pistoclero demonstrasse, amicam Mnesilochi non se, sed sororem suam cognominem esse.

Neque magis, id quod Ribbeckius coniecit, illi prologo fragmenti 19 priorem partem ‚Sicut lacte lactis similest‘ attribuemus. Nam Ribbeckius ipse concedit, haec verba eo loco plane

---

1) Aliter res se habet in prologis Amphitruonis, Menaechmorum, Militis Gloriosi, ubi iure spectatores de personis sive cognominibus sive similibus sive cognominibus similibusque edocentur, ut fabulas inde ab initio intellegere possint.

inutilia esse, cum similitudo sororum ad nodum fabulae connectendum nihil pertineat; itaque suspicatur, in *Δὶς ἐξαπατῶντι*, quam Menandri fabulam Plautus Bacchidibus imitatus est, eam similitudinem non aliter atque in ceteris fabulis, in quibus eadem locutio reperitur (Amph. 601, Men. 1089, Mil. 240), adhibitam esse, ut altera soror pro altera haberetur, sed a Plauto inconsiderate imitatam neglectamque in fabulae continuatione.[1])

Verum est ad expediendum argumentum nihil valere sororum similitudinem, tamen si coniecturam quam de servi partibus Goetzius[2]) et Ribbeckius proposuerunt accuratius persequimur, verba illa a temeritatis crimine possunt defendi; illi enim servum putant Bacchidis I, priusquam Bacchis II ipsa in scaenam venerit, e portu rediisse et Bacchidi I renuntiasse, sororem nave appulsam mox adventuram esse.[3]) Quod probatur nonnullis fragmentis, quae a Ribbeckio iure servo laetanti, quod rem mandatam prospere egerit, attribuuntur:

‚Quibus ingenium in animo utibilest, modicum et sine vernílitate.‘

‚Víncla, virgaé, molae: saévitudó mala
Fit peior‘[4]) — — — — — — — — 2—3,
‚Convórrite aedes scopis, agie strénue[5])
— — — — — — — — — ecquis évocat
Cum nássiterna et cúm aqua istum ínpurissimum.‘ 10—12.

Recte enim Ribbeckius docuit, servum advenientem fragmento 1 ingenium suum bonum praedicare, 2—3 autem, quae

---

1) Idem quod Ribbeckio iam multo ante Ladewigio in mentem venit, qui de contaminatione Bacchidum disseruit Phil. 17, 261 sq.

2) vide quae adnotavit p. 8 editionis ab ipso recognitae.

3) Idem fit in Capt. et in Stich.

4) Quae fragmenta (1, 2—3) non in hominem ingenuum quadrare itaque a Ritschelio iniuria Pistoclero attribui Ribbeckius demonstravit collatis Most IV, 1 et Men. V, 6, ubi servi iisdem fere verbis utuntur.

5) Fr. 10—12 constant ex variis frustulis, quae Ritschelius sagaciter coniunxit; a Ritschelio Bacchidi I vindicantur, a Ribbeckio servo e portu reduci; equidem Ribbeckium sequor, cum etiam Stich. II, 2 quae cum nostro loco apte a Ritchelio confertur (l. c. p. 325). Pinacium servus, e portu reversus imperet: ‚Munditias volo fieri; ecferte huc scopas‘ etc.

malis servis immineant, depingere, 10—12 conservis imperare, ut aedes propter herae sororem mox adventuram verrerent et ornarent.[1]) Sed eidem servo etiam fr. 20 ‚Latronem suam qui auro vitam venditat‘ et 24 ‚Praenéstinum opíno esse: ita erát gloriósus‘ iure a Goetzio et Ribbeckio attribuuntur, quibus quomodo Cleomachus miles moratus sit, describat. Quibus versibus apparet, Cleomachum illi servo ad id temporis notum non fuisse eoque die primum conspectum. Itaque suspicari licet, etiam Bacchidem II non prius in conspectum servi illius venisse; nam Bacchis II non Athenis habitavit, sed Samia est (cfr. v. 200) et Samo a Cleomacho abducta (574).[2]) Quae cum ita sint, Plautus ita rem finxisse videtur, ut Bacchidem II propter miram similitudinem nosset servus, cum herae quaerenti, quomodo sororem noverit responderet, eam herae ut ‚lac lactis similem‘ esse. Referri igitur hoc fragmentum potest ad colloquium, quod inter servum et aliam personam de milite habitum esse fragmenta 20—26 indicant. Quod colloquium Ribbeckius attribuit servo et Bacchidi I, Goetzius servo et Pistoclero. Iam vero si unum ex his fragmentis Pistoclero vindicandum esse demonstrari potest, id quoque lucrabimur, Pistoclerum antea quam Bacchidem II in scaenam venisse; nam Bacchis II, dum hoc colloquium agitur, nondum adest.[3]) Fragmenta, quae huc pertinent, haec sunt:

‚Latronem suam qui auro vitam vendidat‘ 20.

---

1) Quam servi personam si olim in fabula integra extitisse, Goetzio et Ribbeckio concedimus, fabula multo simplicior fit, quam Ritschelius putavit; nam neque Pistoclerus ad Bacchidem II inveniendam ad portum a Bacchide I missus sit neque, servus impurissimus‘ tamdiu solus in scaena versetur (p348—349) iam necesse est, neque Bacchis II tamdiu simul cum hoc servo nescio quid faciat, adfuerit ut Ritschelius p. 350—359 vult.

2) Consentaneum est, Bacchidem quoque I Samiam esse, sed iam diutius Athenis habitare videtur cf. v. 472.

3) nam si Bacchis II iam adfuisset, nemo servum de milite percontatus esset. cum Bacchis II militem accuratissime novisset, non servus.

,Sció spiritum eius maiórem esse múlto 21.
Quam fólles taurini halitánt quom liquéscunt 22.
Petraé, ferrum ubí fit.
Quoiatis tibi visust? 23.
,Praenéstinum opino esse: ita erát gloriosus 24.
— — — — oppidum — — — — — — — 25.
Neque id had subditíva arbitrór gloria ésse' 26.

Versus misere mutilatos Ritschelius ex diversis grammaticis conquisivit et redintegratos apte coniunxit. [1]) Apparet autem fragmentis 21—23, servum collocutum esse cum aliquo, qui iam diutius Cleomachum noverit eiusque ingenii tumidi ignarus non sit; nam dilucide quantum in modum miles se iactare soleat, depingit. Talia autem potuit et Bacchis I dicere et Pistoclerus, si quidem Mnesilochus fortasse in epistula illa accuratius militem descripserit. A Bacchidis I autem persona alienum esse frg. 26 et Pistoclero tantum attribui posse Ritschelius (p. 351) vidit, quia Plautum, qui haec verba non ex exemplari Graeco vertit, sed de suo addidit, per meretricem gloriam militarem Praenestinorum celebrare absonum est. Quae cum ita sint, restat ut servum cum Bacchide I Pistocleroque colloquentem putemus de milite illa retulisse. Constat igitur, Pistoclerum ante Bacchidem II in scaenam venisse.

Cui opinioni magnopere favent fragmenta 5—8 [2]) quae ita interpretanda esse existimo: Ulixes viginti annos procul a patria erravit; item hic adulescens errat, neque vero errat in exterarum gentium insulis et terris, sed ,intra muros civicos' atque ,ilico' errat i. e. ,in loco', ut Charisius, cui hos versus debemus, adnotavit. Pistoclerum his versibus significari sodalis amicam quaerentem omnes consentiunt; sed Ritschelius, Ussingius, Goetzius, Tartara Bacchidem I eos pronuntiare ante sororis adventum putant cum Ribbeckius Bacchidi II tribuat. Is enim contendit nimis frigide Pistoclerum cum Ulixe comparari, nisi is, qui ita loquatur, ipse viderit, quantopere Pistoclerus ad amicam sodalis inveniendam in urbis plateis erraverit; atqui id non cadere posse nisi in Bacchidem II, quae per urbis plateas ad sororem se contulerit; ergo Bacchidem II versus 5—8 recitasse, non I. Sed nemo infitiabitur haec verba colore multo vividiore nitescere, si coram Pistoclero in scaena errante recitata ea esse statuerimus. Accedit quod Charisius apertis verbis prodidit, ,ilico' [1]) i. e. ,in loco' adulescentem erravisse; atque vocabulo ,ilico', ubi eandem vim habeat atque ,in loco', spatium significatur, quod conspicitur: ut Trin. III, 1, 7 Stasimus Callicli quaerenti, ubinam sponsio sororis facta esset, respondet: ,Ilico, hic ante ostium;' item Rud. III, 6. 40—41 Palaestrae et Ampeliscae mandat: ,ibidem ilico
Manete, dum ego huc redeo'.

1) Quorum vv. 21—23 et 24 inter se cohaerere e Prisciano cognoscitur, apud quem legitur: Plautus ,hic cuias', ,huius cuiatis' declinavit in Bacchidibus: ,Scio spiritum eius maiorem esse multo quam folles taurini habeant praenestinum — — — — — gloriosus' (v. quae Goetzius adnotavit ad 21—24); fr. autem 24 eiusdem esse, qui fragmento 20 militem describit, apparet; atque fr. 24 bene excipitur a fr. 26 propter verba ,gloriosus' et ,gloria'.

2) quae supra p. 2 commemoravi.

Itaque Pistoclerum in scaena huc et illuc iisse vel modo abiisse et modo rediisse, fingendum est; quod comparari potest cum permultis illis locis Plautinis, ubi non solum in scaenam sed etiam in scaena curritur. [2])

Quae cum ita sint nihil obstare videtur, quominus vo 5—8 ex soliloquio Bacchidis I sumpta esse putemus. Accedit, quod etiam propter metrum versuum 5—8, de quo infra disputabimus, verisimillimum est, Bacchidem I hunc locum dixisse, antequam soror eius advenit.

Huc etiam fragmentum ,quidquid est nomen sibi' pertinere puto. Quod Ritschelius p. 331, Ladewigium Phil. II, 361 se-

1) Ritschelius locum p. 322 emendans pro ,Qui ilico' codicis scripsit ,Qui hic ilico'; quem sequitur Goetzius.

2) Permultos eiusmodi locos Langenus notavit in ,Studiis Plautinis', quae a. 1886 edidit; cf. p. 121, 134, 158 etc.

cutus, emendare voluit ,tibi' pro ,sibi' scribendo[1]) et cum fr. ,sicut lacte lactis similest' ita coniunxit, ut octonarium trochaicum ambo efficerent; sed neque ullo remedio opus esse censeo,[2]) neque duobus fragmentis hemistichia eiusdem versus contineri. Cur enim Bacchis I postquam vv. 5—8 pronuntiavit, non potest ita fere pergere ut quaerat ,quidquid est nomen sibi,' i. e. ut suspicor, ille adulescens me delectat, quamquam nescio quis sit et quamquam mea nihil interest, quod nomen habeat'. Confero enim locum cum Pseud. III, 2, ubi Harpax, cum Pseudolus dicat se Subballionem esse sibique nomen Syro, breviter imperat:

Erus si tuos domist, quin provocas,
Ut id agam, quod missus huc sum, quicquid est nomen tibi', i. e. ,qua condicione sis, nihil mea refert'.[3])

Deinceps dicendum est de fr. 27—28

— — — ,cor meum, spés mea,
Mel meum, suavitudó, cibus, gaudium'.

Quae aut Bacchidi I aut sorori attribuenda esse, inter omnes constat, sed dissentitur, utrum soror Bacchidem I, an soror Pistoclerum, an Bacchis I Pistoclerum his verbis salutaverit. Ribbeckius quidem ea Bacchidi II vindicavit, sed non sororem, sed Pistoclerum alloquenti. Contendit enim, talia κολακεύματα imprimis inter amantes usurpari itaque Bacchidem II gaudio excitatam his verbis Pistoclerum, amici sui sodalem, perinde alloqui ac Pistoclerus amicus suus ipse esset. Sed Ribbeckii opinioni haec potissimum repugnant: primum Ribbeckius non demonstravit, talibus blandimentis Plautum non uti

1) quam emendationem Ussingius in editione probavit, Goetzius autem lectionem ,sibi' adhibet.

2) Nam quod Pseud. 639 legitur ,quicquid est nomen tibi, et Pers. IV, 6, 18, quid est tibi nomen?' non sequitur, etiam hoc loco apud Plautum ,tibi' exstitisse.

3) De fr. 4, Quaé sodalem átque me exércitos habet, quod omnes una voce Pistoclero in scaenam advenienti tribuerunt, longum est denuo tractare. Omnes consentiunt, Pistoclerum de Bacchide II queri, quam invenire studeat.

nisi in amantium colloquiis; nam recte Ritschelius, quem Ribbeckius non refellit, vidit, talia etsi plerumque amantium essent, tamen etiam ab aliis personis adhiberi,[1]) neque hoc loco quemquam esse, qui amaretur. Tum veri dissimillimum est, Bacchidem II Pistoclerum amicum Mnesilochi aeque salutavisse ac si is Mnesilochus esset, quippe quae Pistoclerum adeo vereatur, ut in scaena I, 1 a sorore eum ad auxilium sibi ferendum irretiri velit, ipsa cum eo agere vix audeat. Itaque fr. 27—28 aut Bacchidi I, attribuemus quod sororem advenisse laetetur, aut Bacchidi II, quippe a qua auxilium contra militem speret Athenis invenerit laetae, aut Tartaram secuti Bacchidi I Pistoclerum initio fabulae alloquenti. Is enim existimat, Bacchidem I his verbis Pistoclero amoris delicias explicantem dicere, illum qui amaretur ab eo, qui amaret ita salutari, ,cor meum, spes mea, mel meum' etc. sicut Cas. I, 1, 46 Olympio laetatur, Casinam sibi dicturam esse ,Mi animule, mi Olympio, mea vita, ,mea melilla, mea festivitas'.

Cuius argumentationem quamquam falsam esse puto, tamen Bacchidi I cum Pistoclero colloquenti fragmentum de quo agitur, vindicari probo. Neque enim veri dissimile esse videtur Bacchidem I, quae in scaena I. 1 illecebris blandidis effecit, ut Pistoclerus totum ei se dederet, iam in principii parte deperdita eum irretire voluisse, praesertim cum alio amatore careat. Accedit quod etiam metrum fragmenti huic sententiae patrocinari mox videbimus.

Quacum opinione optime consentit, quod Ritschelius fr. 29 ,sine te amem' ad colloquium inter Bacchidem I et Pistoclerum initio deperdito fabulae habitum retulit.

Atque etiamsi Ribbeckius recte fr. 27—29 Bacchidi II attribuisset, tamen non sequeretur, Pistoclerum postea quam

1) Rud. enim I, 4, 2 amica amicam alloquitur, ,obsecro amplectere, Spes mea' et Stich. IV, 2, 5 patronus redux e peregrinatione a patrono salutatur ,o sperate Pamphile, o salus mea, o mea vita, o mea voluptas salve.'

Bacchidem II in scaenam venisse; neque enim ad diiudicandum utrum Pistoclerus an Bacchis II prior advenerit, fragmenta 27—29 quidquam valent.

Ribbeckii igitur argumentis refutatis iuvat quae probavi, etiam eo confirmari quod in codice vetere [1]) Bacchis I littera A notatus est, Bacchis II E, Pistoclerus G. Quibus notis cum inter omnes constet, [2]) saepe quo quisque ordine in scaenam prodierit, significari, non iniuria Ussingio et Tartarae propter eas notas in suspicionem venit, primam Bacchidem I in scaenam venisse, quippe quae prima littera, tertium Pistoclerum, qui G=Γ, tertia littera Graeca, quintam Bacchidem II, quae quinta littera Graeca notetur. Neque praetereundum esse puto, fabulam uno delectamento copiosiorem esse, si Pistoclerum initio Bacchidem I, sororem amicae, deinceps Bacchidis I auxilio amicam Mnesilochi, sodalis sui, ipsam invenisse concedimus.

Nunc iam ad alteram propositi partem veniamus, qua indagabimus, utrum recte Ritschelius et Tartara Cleomachum in fabulae principio in scaenam prodiisse docuerint an recte Goetzius, Ussingius, Ribbeckius, Cleomachum in ea fabulae parte in scaenam non intrasse. Fragmentis quidem 13—18:

,Sin lenocinium forte conlubitumst tibi,
Videás mercedis quid tibist aequóm dari
Ne istác aetate mé sectere grátiis‘ 13—15
— — — — — — — — — — — — — — — —
Ne a quóquam acciperes álio mercedem ánnuam.
Nisi ab sése nec cum quíquam limarés caput‘ 16—17
— — — — — — — — — — — — — — — —
. . . limaces viri‘ 18

de nemine nisi de Cleomacho agi Ritschelius iure diiudicavit. [3]) Neque vero hac re iam efficitur, militem in scaena ea verba ipsum pronuntiasse.

1) cfr. Ritschl. p. 294 et editionem Goetzii.

2) v. Teuffel, Gesch. der Röm. Litteratur p. 26, Ritschl. praef. ad Trin. p. LV.

3) Neque vero hoc Ribbeckium fugit, qui fragmentum ita interpretatur, ut dicat p. 114: soviel ist klar, dass hier ein kontractliches Liebesverhältniss in herablassenden Worten angeboten wird; cum autem nemo in fabula memoretur, qui pactum cum meretrice inierit, nisi Cleomachus cum Bacchide II, recte pergit Ribbeckius, haec verba olim a Cleomacho dicta esse eo tempore quo Bacchidem II pro mercede annua conduxerit, in scaena autem iisdem verbis, quibus Cleomachus olim usus sit, pactionem narrari.

Nam primum, ut Ribbeckium sequar, constat militem ante vv. 20—26, [1]) quibus miles absens depingitur, in scaenam non venisse. Deinde Ribbeckius recte vidit a Pistoclero militem in scaena conspectum non esse; versu enim 47 quaerit a Bacchidibus ,ubi nunc is homost‘ (sc. Cleomachus)? itaque cum non viderit quo miles abiisset, eum in scaena adfuisse non vidit. Cum vero iam supra demonstravimus Pistoclerum antequam vv. 20—26 pronuntiantur, in scaena versari, tempus, quo miles initio fabulae in conspectum venerit, omnino deest. Nam quod Ritschelius suspicatus est Pistoclerum ad portum abiisse et Bacchidem I domum intravisse colloquio habito, supra p. 5, 1 improbavimus; itaque recte concluditur, militem non adfuisse, quia Bacchis I et Pistoclerus eum in scaena non viderunt. Bacchidem autem militem in scaena non vidisse inde apparet quod nullo loco memorat, militem in scaenam rediturum esse, nonnullis vero eum mox adventurum esse; [2]) versu enim 47 Pistoclero interroganti, ubi miles tum sit, respondet ,Jam hic credo aderit‘; v. 48 Pistoclerum adhortatur, ut domi suae exspectet, donec miles veniat: ,atque is dum veniat sedens ibi opperibere‘; v. 61 dicit. ,Et ille (sc. miles) adveniens tuam (Pistocleri) med esse amicam suspicabitur. [3])

Accedit quod militem initio fabulae in scaenam non venisse ob eam quoque causam existimandum est, quia consentaneum est militem dedecuisse meretricem per urbis plateas deducere; atque Ter. Eun. III, 2, 41—42 legimus verba Gna-

1) quos videas p. 5 sq.

2) Quod recte Ussingius et Ribbeckius monuerunt.

3) Cfr. etiam v. 222, quo Pistoclerus Chrysalo renuntiat ,Nam iam hic adveniet miles‘.

thonis, qui parasitus militis est, ‚Haud convenit Una ire cum amica imperatorem in via‘.[1]) Praeterea non perspicitur, qua ratione inductus miles ipse Bacchidem II ad sororem deduxerit et ea deducta in urbem abierit, cum IV, 1 parasitum mittat, qui aut aurum accipiat aut Bacchidem II abducat.

Quibus praemissis iam videamus, quis fragmenta quae supra dixi, in scaena recitaverit. Ut a fr. 13—15 exordiar, recte Ritschelius vidit ‚lenocinium‘ hoc loco non idem ac Ep. IV, 2, 11 et Merc. II, 3, 76 significare ‚negotium lenonis‘ sed ‚negotium meretricis‘, quae non uni se dedit sed ‚corpus publicat volgo suum‘[2]), itaque ea verba Cleomachi meretricem conducentis esse iure contendit. Sed cum non initio fabulae meretrix conducta sit sed multo ante, Cleomachum ea in scaena coram Bacchide II ex pactione olim facta repetere Ritschelius putat. Quam opinionem ut sustentare posset, si in fr. 14 ‚pactum‘ pro ‚aecum‘ librorum et in fr. 15 ‚sectarere‘ pro ‚sectere‘ coniecit, erravit vir doctus, ni fallor. Nam cum v. 14 ita mutatum vertat ‚so sieh nur auf den grossen Lohn hin, über dessen Zahlung wir vertragsmässig übereinkamen‘, opponendum est, Cleomachum si Bacchidem II magnae mercedis admonere voluisset, dicturum non fuisse ‚pactum dari‘ sed ‚solutum dari‘; nam Ritschelius l. c. ipse docuit, mercedem, qua miles meretricem in annum conduxerit, iam ante fabulae initium solutam esse. Itaque non Cleomachus ipse verba de quibus agitur, in scaena repetivit. Neque magis interpretationi, quam Tartara proposuit assentiemur, qui Bacchidem I iis cupiditatem Pistocleri accendere voluisse censet, ‚lenocinium‘ idem esse atque ‚amore frui‘ falso coniiciens; quae si adulescentem irretire voluisset, non de pretio amoris primum locutura fuisset. Accedit quod ‚dari‘ legitur, non ‚dare‘ quod interpretatione Tartarae requiritur. Reliquum est, ut fr. 13—15 recte a Ribbeckio ad colloquium, quod sorores in scaena, postquam altera modo advenit, de Cleomacho habuerunt, referri demonstrabimus. Quare singula fragmenti verba quid sibi velint accuratius consideremus. Atque ut a v. 15 incipiam, quam vim vocabulum ‚sectari‘ habeat, intellegitur collatis hoc loco et Mil. 90—91, ubi Palaestrio militem hoc modo describit ‘Stercoreus, plenus periuri atque adulteri ait sese ultro omnis mulieres sectarier‘; item huc referri potest Ep. 486—87 ‚nam servom misi, qui illum sectari solet Meum gnatum‘; ‚sectari‘ igitur idem fere significat ac ‚sequi solere‘, ‚pedisequum esse‘; nostro autem loco Bacchis II a milite conducta est, ut se per annum sectaretur. ‚Gratiis‘ idem sentit ac, gratis‘, germanice ‚umsonst‘, confero enim ss. v. 190, ubi Cleaereta lena Argyrippo, amatori filiae suae, dicit :

‚Nec meum quidem edepol, ad te ut mittam gratiis (sc. filiam). Verum aetatis atque honoris gratia hoc fiet tui‘, atque ibidem ‚Si mihi dantur duo talenta argenti numerata in manum Hanc tibi noctem honoris causa gratiis dono dabo‘ ; item Poen. v. 868 legitur ‚amicam ductare gratieis‘. Bacchis autem militem non gratis sectatur, sed auro conducta.

‚Istac aetate‘ idem hoc loco est ac ‚aetate qua tu nunc flores‘ ; nam ‚aetas‘ non modo aetatem senilem significare potest sed quamlibet aetatem. Itaque Ussingius quod propter v. 15 coniecit in fabulae parte deperdita senem aliquem cum Bacchide I egisse, qui postea non iam in scaenam prodiret, a vero valde aberravit; Men. enim v. 675 ‚aetas‘ idem valet atque ‚adulescentia‘, cum Menaechmus I Erotio meretrici interroganti, quis se quaereret, respondeat ‚Sibi inimicus magis quist quam aetati tuae‘ ; item Trin. v. 313 Lysiteles adulescens dicit ‚Istaec ego mihi semper habui integumentum aetati meae.‘

Itaque v. 15 ‚Ne istac aetate me sectere gratiis‘ hoc significare videtur ‚ne tu (Bacchis II) aetate tua, qua propter venustatem tuam lenocinio copiam auri haud parvam quaerere potes, gratis amica mea sis‘. Circumscribitur igitur his verbis eadem sententia quam sine ambagibus exprimit versu ‚Videas mercedis quid tibist aequum dari‘.

1) Quem locum spectans Tartara arbitratur, Cleomachum non simul cum Bacchide II iisse, sed Bacchidem aliquo spatio seiunctam eum secutam esse.

2) v. 863.

Sed quid sibi vult v. 13, qui primus fragmenti 13—15 est, ‚Sin lenocinium facere collubitumst tibi'? Cum ‚lenocinium facere' hoc loco idem sit ac ‚pluribus amatoribus operam dare, non uni' recte Ribbeckius vidit, coniunctionem ‚sin' hoc loco tolerari non posse, ne versus 13—15 sententia careant. Quid enim significat ‚Si pluribus te dedere vis, videas quam mercedem tibi dari aequum sit, ne me gratis sequaris?' Quam turbam Ribbeckius eleganter amovit ‚nisi' pro ‚sin scripto'. Itaque miles tempore, quo Bacchidem II in annum conduxit, haec fere dixit ‚Nisi multorum meretrix esse mavis quam mea, videas quid pretii a me poscas. Quae verba olim a Cleomacho dicta in scaena Bacchis II cum sorori, quid sibi rei cum Cleomacho esset, narraret, repetivisse videtur.

Falso quoque Ritschelius fr. 16—17 militem in scaena recitasse iudicavit. Quae verba continere quid inter militem et Bacchidem II olim convenerit inter omnes constat; cum autem hoc loco quid pactione illa convenerit referatur tantum, non in scaena Cleomachus et Bacchis II inter se paciscantur, cum hoc loco apte As. 653—655 confertur, ubi Argyrippus memorat ‚Argenti viginti minae med ad mortem adpulerunt. Quos hodie adulescens Diabolus ipsi daturus dixit, Ut (mater) hanc ne quoquam mitteret nisi ad se hunc annum totum', et Merc. 536—37, ubi Pasicompsa legem pactionis inter se et adulescentem factae repetit ‚Et inter nos coniuravimus, nisi cum illo et ille mecum neuter stupri causa caput limaret'. Quibus locis collatis iam in aperto est, a Cleomacho etiam hoc fragmentum abiudicandum esse; nam cum Pasicompsa l. c. dicat ‚nisi cum illo et ille mecum', nonne Cleomachus verba pactionis in scaena repetens dicere debebat ‚ne a quoquam alio mercedem acciperes annuam nisi a me'? Sed cum ‚sese' legatur, quis legem praecipuam syngraphi olim scripti praeter militem scire potuit nisi sola Bacchis II? Ribbeckius quidem puero, qui Bacchidem II e portu ad sororem deduxit fr. 16—17 vindicavit hac argumentatione nisus: puer Bacchidis II in scaenam prodiit; aliquod igitur fragmentum ei addicendum est. Itaque Goetzium reprehendit, quod

puero ne unum quidem versum attribuit. Sed tamen non semper is qui in scaenam prodit debet aliquid in scaena pronuntiare; inveniuntur apud Plautum, ut ita dicam, personae mutae; deinde etiamsi puerum alquid in scaena recitasse concederetur, tam fieri potuit, ut omnes versus quos dixissit, deperierint, quoniam principii Bacchidum non contextus continuus sed fragmenta tantum exstant. Equidem puerum personam mutam principii fabulae egisse persuasum habeo, cum idem vel vv. 573 quamquam a parasito militis lacessitur, nihil respondeat. Itaque puerum tam impudentem fuisse, ut Bacchidem II insolenter moneret, quid inter militem et ipsam convenisset Ribbeckius iniuria censuit, praesertim cum miles Bacchidem non invitus ad sororem dimiserit.

Dubium igitur restat utrum Bacchidi II fr. 16—17 tribuamus an Bacchidi I; potuit enim illa sorori in scaena narrare, quid inter se et militem olim convenerit.[1]) Aut si Tartaram sequimur Bacchis I divinavit legem solitam condicionis huiusmodi.

Videamus nunc quo pacto Bacchidi II a milite ad sororem abire licuerit. De qua re haec fortasse ipsa retulit. Sed perierunt hi versus. Tamen accuratius quam Ribbeckius voluit,[2]) quid Cleomachus abeunti praescripserit, investigari potest. Ritschelius enim rem acu tetigit, cum viderit, ea condicione a Cleomacho Bacchidem II dimissam esse, ut aut ducentos Philippos redderet aut ipso die cum eo Elatiam secederet

---

1) Plautum ita fabulam composuisse, ut Bacchis II Sami a Cleomacho conducta esse videatur, iam supra p. 5 sq. probavimus.

2) Qui hoc coniecit ‚Cleomachus wird einstweilen seinen Geschäften nachgegangen sein und der Abtrünnigen Bedenkzeit gelassen haben, nach deren Ablauf er sich endgültigen Bescheid holen will', et eodem loco. ‚Die Samierin hat sich auf irgend eine Weise von ihm (Cleom.) losgemacht, nicht ohne den Verdacht zu erwecken, dass sie ihn am liebsten ganz verlassen will'.

(p. 308). Ad quod probandum versibus 575 sq. utitur, quibus parasitus renuntiat ‚Nunc me ire iussit ad eam (Bacchidem) percontarier, Utrum aurum reddat anne eat secum semul‘. Itaque coniiciendum est, Bacchidem II initio fabulae a portu se ad sororem contulisse, cuius ope aurum ad se redimendam compararet. Atque etiam hoc concedendum est Bacchidem II cum abiret, milite aperte dixisse se Athenis etiam Mnesilochum cuius auxilio liberaretur, quaesituram esse; nam miles vv. 842—843 haec dicit ‚Meamne hic Mnesilochus Nicobuli filius Per vim ut retineat mulierem? quae haec factiost?‘ Bacchidem autem a Mnesilocho retineri Cleomachus nullo modo scire potuit atque ne suspicari quidem, nisi Bacchis decedens professa erat, se Mnesilochum Athenis quaerere. Nam parasitus, qui iussu militis Bacchidem II versibus 588 sq. arcessiverat, non comperecrat, quemnam alium Bacchis II amaret et a quonam retineretur. Pistoclerus enim ‚non it‘ inquit ‚negat (Bacchis II) se ituram. Duc te ab aedibus.‘ Quam ob rem aut concedendum est, Plautum nimia neglegentia personam Cleomachi finxisse, aut recte Goetzius Act. soc. philol. Lips. VI, p. 319 contra Ladewigium disputans, qui nullo modo militem quis Bacchidem retineret comperire potuisse contenderat, ita rem expedivit, ut de Mnesilocho Cleomachum a Bacchide II, cum abiret, certiorem factum esse existimaret.

Restat unum, ut dicamus quomodo Bacchis II aedes sororis invenire potuerit. Confero igitur Ep. 433—34, ubi miles puero imperat ‚Cave praeterbitas ullas aedis, quin roges, Senex hic ubi habitat Periphanes Plothenius‘ iisque verbis recitatis statim in Periphanem incidit; idem fit ib. 534 Philippae dicenti ‚In his dictust mihi locis habitare Periphanes‘. Item Poen. v. 959—960 Hanno Carthaginiensis ‚is in hisce‘ inquit, ‚habitare monstratust regionibus (Agorastocles). Hos percontabor, qui hinc egrediuntur foras‘ et statim Milphionem, servum Agorastoclis, invenit. Itaque initio Bacchidum quoque Bacchidem II in scaenam advenisse puero suo imperantem, ut a praetereuntibus, ubi

Bacchis meretrix Samia habitaret, quaereret.[1]) Ad colloquium autem quod Bacchides de Cleomacho in scaena habuerunt fragmenta 27—28, 13—15, 16—17, 31 pertinere iam supra demonstravi, num etiam fr. 32 fortasse ‚tedamare suspicarier‘ huc spectet[2]) et quid fr. 30 ‚Arabus‘ sibi velit, diiudicare non audeo. De fragmentis autem 33 ‚argentum hinc facito‘ et 34 quod Ritschelius e duobus in unum coniunxit, quid iudicem infra explicabo.

Ordo igitur fragmentorum, de quibus adhuc tractavi, Plautinus hic fuisse videtur:

Sc. I. Bacchis I.

— — — — — — — — — — — — — — —

Sc. II. Bacchis I et Pistoclerus.

Bacchis I: Ulíxem audivi fuísse aerumnosíssimum, 1
Qui vígìnti annis érrans a patria áfuit
Verum híc adulescens múlto Ulixeum ántidit:
Qui hic flico errat íntra muros civicos.
— — — — — — — — — — — — — — —
— — — — — — — quídquid est nomén sibi 5
— — — — — — — — — — — — — — —
Pist. Quaé sodalem átque me exércitos habet.
— — — — — — — — — — — — — — —
Bacchis I — — — — Illa mea cognominis fuit.

Sc. III. Bacchis I, Pistoclerus, Servus.

— — — — — — — — — — — — — — —
Servus: Quíbus ingenium in ánimo utibilest, 8
módicum et sine vernílitate
— — — — — — — — — — — — — — —
Vincla, virgaé molae: saévitudó mala 10
Fit peior — — — — — — — — — — — —

1) Itaque Ritschelio, qui p. 350 censet Bacchidem in scaena conspici incertam quomodo aedes sororis inveniat, assentiamur necesse non est.

2) quod Ritschelius huc rettulit, quamquam Donatus cui fragmentum debemus, non memorat ex qua fabula Plautina haustum sit.

— — — — — — — — — — — — — — — —
Sícut lacte láctis similest.
— — — — — — — — — — — — — — — —
Latrónem suam qui aúro vitam venditát.
— — — — — — — — — — — — — — — —
Bacchis I. Sció spiritum eíus maiorem esse múlto
Quam fólles tauríni hálitant quom liquescunt
Petraé, ferrum ubí fit.
Pist. Quoiátis tibi vísust?
Servus: Praenéstinum opíno esse: ita erát gloríosus.
Pist. — — — — oppidum — — — — — — (?)
Neque id haúd subdití va arbitrór gloria ésse.
Bacchis I (vel Servus): Convórrite aedes scópis, agite strénue
— — — — — — — — — — — — ecquis évocat
Cum nássiterna et cúm aqua istum inpuríssimum.
— — — — — — — — — — — — — — — —

Sc. IV. Bacchis I, Pistoclerus, Bacchis II (cum puero).

— — — — — — — — — — — — — — — —
Bacchis II: — — — — — — cor meum, spes mea
Mél meum, suávitudó cibus, gaúdium
— — — — — — — — — — — — — — — —
Síne te amem
— — — — — — — — — — — — — — — —
Bacchis II: Nisi lénocinium fórte collubitúmst tibi
Videás mercedis quíd tibist aequóm dari,
Nistác aetate mé sectere gratiis.
— — — — — — — — — — — — — — — —
Bacchis I: Ne a quoquam acciperes álio mercedem ánnuam
Nisi ab sése nec cum quíquam limarés caput
— — — — — — — — — — — — — — — —
Bacchis I: — — — Cupidon té confecit anne Amor.

Quocum fragmentorum ordine etiam metra convenire videntur. Vv. 1—4 iambos senarios esse apparet; etiam fr.

20—22, 26—28, 29—30, 31 eiusdem metri sunt. Fr. 6 versus creticus esse videtur, v. 8 tetrameter trochaicus, 10—11 cretici, 12 partem versus bacchiaci esse puto, 13—19 bacchiaco metro composita esse cum Ritschelio censeo, neque quin 23—24 versus cretici sint, quisquam dubitat; fr. 5 clausulam versus senarii iambici esse suspicor; fr. 7 clausulam tetrametri trochaici putari posse, Ritschelius coniecit p. 327, sed recte Luchsius in Studemundi Stud. I, 45 negavit, de metro et verborum ordine huius frustuli diiudicari posse.

Habemus igitur hoc schema metrorum: iamb.[1] lyr.[2] troch(?)[3] lyr.[4] lyr.[5] iamb.[6] lyr.[7] iamb.[8]; sequuntur octonarii trochaici scaenae I, 1. Sed cum Spengelius (Die Akteinteilung der Komoedien des Plautus p. 9 sq.) recte docuerit Plautum in componendis singulis actuum scaenis certo ordine metrorum usum esse, ita ut versus lyrici unius actus senariis iambicis seiungi non solerent, sed unum canticum continuum efficerent: nostro loco offenditur, quod inter fr. 23—24 et praecedentes metri lyrici intersunt iambi 20—22. Sed hic scrupulus facile amovetur, si fr. 23—24 non Bacchidi II, sed sorori eius attribuimus, ita ut legatur fr. 23—24 post fr. 6; quod licere iam supra p. 9 demonstravimus.[9])

---

1) 1—5.
2) 6.
3) 7.
4) Canticum servi.
5) Colloquium Bacchidis I, Pistocleri, servi.
6) 20—22.
7) 23—24; cuius metri sit 25 enucleari non potest.
8) 26—34.
9) Ritschelianam distributionem dubiam esse Spengelius p. 35—36 propter metra fragmentorum suspicatus est, eadem ratione Ribbeckium in ordine fragmentorum statuendo errasse constat, cum ab eo ita conexa sint, ut hoc schema praebeant: troch? (7), lyr. (8—11), iamb. (20—22), lyr. (13—15), iamb. 26—28), lyr. (6), iamb. (1—4), lyr. 23—24); in quibus iure offenditur, quod cantica lyrica initio fabulae plura sunt, quam exspectari debet.

In prima igitur scaena, ut comprehendamus, quae de sententiarum conexu principii Bacchidum deperditi singillatim disputavimus Bacchis I sola ante aedes versatur; eam sororis mentionem fecisse verisimile est. Mox adolescentem, qui in platea incertus quid faciat huc et illuc incedit, conspicit eumque cum Ulixe comparat; cum scire cupiat quis sit et quid velit, eum alloquitur. Pistoclerus autem a Mnesilocho sodali per epistolam admonitus, ut Bacchidem Athenis quaereret, audivisse videtur Bacchidem meretricem Samiam haud procul ab aedibus patris sui habitare itaque in Bacchidem I incidit existimans se amicam sodalis iam invenisse. Bacchis vero II suspicatur sororem suam cognominem a Mnesilocho amari. Jam advenit servus, qui nuntiat se in portu sororem herae suae et militem quendam vidisse; sed priusquam ille Bacchidem I et Pistoclerum in conspectu habet, secum de sorte vernili agit, deinde narrat, quid cognoverit et quam similis sit soror Bacchidi I describit. Attamen Bacchis I cum statim servo fidem habere dubitet, quemadmodum comes sororis moratus sit perquirit. Qua re cognita laetantur Bacchis I et Pistoclerus et in honorem sororis domus ornatur et ut aqua intus calefiat (cf. v. 105) servo cuidam imperatur. Neque multo post Bacchis II et puer adveniunt. Bacchides et Pistoclerus de Mnesilocho et Cleomacho inter se colloquuntur.

II.

De scaena I, 1.

Initium scaenae I, 1 quae a Bacchidibus et Pistoclero agitur interiisse eo aegrius ferimus, quia eam partem quae ad totam scaenam recte interpretandam opus sunt, olim continuisse apparet. In parte enim servata Pistoclerus blandimentis Bacchidis I primum resistit, deinde in fine scaenae iam eo perductus est, ut quidquid meretrices volunt, facere paratus sit; sed dubitari potest, utrum Bacchis I amatorem sua tantum causa quaesiverit, an ut aurum ad sororem liberandam adipisceretur, an utrumque simul in animo agitaverit. Qua in controversia si Ritschelium[1]) vel Ribbeckium[2]) sequimur, Bacchides ob eam rem Pistoclerum irretire existimandum est, ut ab eo aurum quaerant; Tartara autem (p. 58), opinione Ritschelii reiecta ‚Bacchidem I sibi amatorem quaerere, ‚nihil praeterea intendere‘ censet, cum Pistoclerus, quoniam ipse ut omnes comoediae palliatae adolescentes, pecunia careat, aurum dare non possit. Qua in argumentatione Tartaram errasse iam Seyffertus ostendit,[3]) collato Pseud. vv. 732 sq. ubi Charinus

1) p. 312 ‚Um Geld von Pistoclerus ist's ihnen (sororibus) aber gerade zu thun‘; cf. 311.

2) L. c. p. 117: ‚Die Schwestern machen den Plan, wie sie einstweilen den blöden Jüngling für ihren Nutzen ausbeuten wollen.‘

3) Qui Tartarae commentationes recensuit ‚Berl. philol. Wochenschrift‘ a. 1885 p. 1642 sq.

amico quinque minas tradit. Praeterea nonne Bacchides sperare potuerunt Pistoclerum, etsi auro careat, a patre, sene divite, dolo servi, ut in comoediis fieri solet, argentum paraturum esse? Accedit, quod nullo loco memoratur Bacchidem I amore Pistocleri, ut sororem Mnesilochi, captam esse; itaque id certe constat, Bacchidem I Pistoclerum non solum amoris causa irretiisse, sed simul ob eam rationem, ut ab adulescente more meretricio aurum quaereret. Nam Tartara quod ad stabiliendam opinionem suam suspicatur, pecuniae comparandae Bacchides tum demum operam dare voluisse, postquam Mnesilochus rediisset, fallitur. Neque enim Bacchides persuasum habuerunt, Cleomachum usque ad adventum Mnesilochi Athenis moraturum esse, quoniam Cleomachus Bacchidem II eo pacto ad sororem dimiserat, ut statim aut aurum redderet, aut secum Elatiam proficisceretur. Accedit quod Bacchides initio fabulae nescierunt, Mnesilochum paulo post adventurum esse.

Itaque Tartarae opinio a vero aberrare videtur atque verisimillimum est Bacchidem I, cum Cleomachi adventum exspectaret, sorori quolibet modo auxilium ferre voluisse. Argento ipsa quidem indiget, sed quemnam socium contra militem sorores sibi adsciscere possunt nisi Pistoclerum, sodalem Mnesilochi, cuius tantum interest, Bacchidem II non a milite abduci sed Athenis remanere? Quae opinio initio partis scaenae I, 1, quae in libris exstat, probatur:

(‚Nám tu equidem credo éxcantare quoivis facile cór
potes)[1]

— — — — — — — — — — —

Bacchis I: Quíd si hoc potis est út tu taceas égo loquar
Soror: Lepidé: licet.[2])

1) Versus 34 a Ritschelio ex testimonio Nonii ‚nam credo cuivis excantare cor potest‘ et Servii ‚nam tu quidem cuivis excantare cor facile potes‘ compositus est (p. 329) et hoc loco apte quadrat, praesertim cum v. 38 ei respondere videatur (v. pg. insequentem).

2) Hoc versu libri incipiunt.

Bacchis I: Ubi me fugiet mémoria, ibi tu fácito ut subveniás, soror.
Soror: Pól magis metuo míhi in monendo né defuerit mémoria.
Bacchis I: Pól ego metuo lúsciniolae né defuerit cantio.[1])
Séquere hac.
Pistoclerus: Quid agunt duaé germanae méretrices cognómines?
Quíd in consilio cónsuluistis?
Bacchis I: Béne
Pist. Pol haud meretriciumst.
Bacchis I: Míserius nihil ést quam mulier.
Pist. Quíd esse dicis dígnius?
Bacchis I: Haéc ita me orat, sibi qui caveat áliquem ut hominem réperiam.
Ab istoc milite: út, ubi emeritum síbi sit, se revehát domum.
Id amabo te, huic cáveas.
Pist. Quid isti cáveam?
Bacchis I: Ut revehatúr domum,
Ubi ei dederit óperas: ne hanc ille hábeat pro ancillá sibi.
Nám si haec habeat aúrum, quod illi rénumeret faciát lubens.
Pist. Ubi nunc is homost?
Bacchis I: Iam híc credo aderit. séd hoc idem apud nos réctius
Póteris agere: atque ís dum veniat sédens ibi opperíbere.
Eádem biberis, eádem dedero tíbi, ubi biberis sávium.‘

Quos versus si accuratius reputaverimus apparebit v. 34 et vv. 35—39, partem colloquii esse, quod Bacchides seorsum a Pistoclero in scaena habuerunt, sed eos versus deesse, quibus quid faciendum esset, in secreto consuluerunt. Colloquio finito meretrices verbis ‚Sequere hac‘ ad Pistoclerum redeunt, a quo inter-

1) Anspachius ‚De Bacchidum Plautinae retractatione scaenica p. 2 et 3 versus 35—37 alterius recensionis, non Plauti, esse censet. Quem scite refellit Langenus, Stud. Plaut. p. 15.

rogantur: ‚Quid in consilio consuluistis?'[1]) Neque vero Bacchis I verum dicit, cum Pistoclero respondeat, sororem ab eo petere, caveat, ut illa anno in quem a milite conducta sit, transacto domum revehatur neve a milite ancilla habeatur. Nam re vera, quo modo aurum pararent, deliberabant, ne sororem miles secum duceret.[2]) Atque consentaneum est, Bacchidem I verum non dicere; nam quid colloquio secreto opus fuisset, si statim quae consuluerant, cum Pistoclero communicare voluissent? Recte igitur Ritschelius p. 311 suspicatus est; ‚offenbar nämlich müssen wir schliessen, liegt es in der Absicht der Schwestern, dem Pistoclerus, den sie in ihr Garn ziehen wollen, die Wahrheit anfangs zu verheimlichen." Quae cum ita sint, ad verum enucleandum primum quaeremus, utri sorori ea quae colloquio secreto decreverunt, perficere convenerit — id quod colloquii parte tradita perspicitur —; tum videbimus, quid, Bacchis I colloquio a sorore comperisse videatur.

Versu igitur 35 Bacchis I a sorore quaerit: ‚Quid si hoc potis est, ut tu taceas, ego loquar?' eique soror adnuit. Quem versum si accuratius consideramus, facile intellegitur, initio propositum fuisse, ut Bacchis II, non I, loqueretur. Quod si conceditur, iam in aperto est, sororibus non, ut Tartara docuit, visum esse, ut Bacchis I Pistoclerum amatorem sibi quaereret; nam si Bacchis I id tantum respexisset, iam ab initio consentaneum fuisset, Bacchidi I cum Pistoclero agendum esse, non sorori itinere fatigatae. Itaque primum illud inter sorores convenisse videtur, ut Pistoclerus in aedibus sororis militem oppe-

1) Locus comparari potest cum Bacch. vv. 1149 sq. ubi sorores a senibus aliquantum secedunt, ut in secreto secum agant; incipit colloquium verbis Bacchidis I: ‚Soror est quod te volo secreto'; quibus dictis abeunt aliquantulum et inter se de senibus irretiendis agunt; dum solae colloquuntur, Nicobulus senex interrogat: ‚Quid illaec illic in consilio duae secreto consultant?' Verbis Bacchidis I ‚Sequere hac' colloquium finitur (v. 1166), ut nostro loco v. 39 iisdem verbis.

2) Itaque Bacchis I paulo post v. 90 profitetur, militem, nisi Pistoclerus adesset, sororem abducturum esse.

riens, quominus amica Mnesilochi vi abduceretur, prohiberet, deinde ut aurum ad eam redimendam praeberet.

Sorores autem de periculo, quod sibi a milite impenderet, colloquio secreto egisse, etiam altera, quam supra memoravi, argumentatione cognoscitur. Nam versibus 42—43 elucet, quis miles sit, Pistoclerum iam antea audivisse, cum Bacchis I dicat, Ab istoc milite'; deinde versibus 43—45 apparet, Pistoclerum non ignorare a Cleomacho Bacchidem II in annum conductam esse; statim enim intellegere videtur, quid sibi velit ‚ubi emeritum sibi sit' et ‚Ubi ei dederit operas'. De quibus rebus Pistoclerus certior factus est colloquio, quod Bacchides et Pistoclerum de milite habuisse supra demonstravimus. Nescit autem Pistoclerus, qua condicione Cleomachus Bacchidem II dimiserit. Quaerit enim versu 47: ‚Ubi nunc is homost?' et Bacchis I respondet: ‚Jam hic credo aderit, sed hoc idem apud nos rectius Poteris agere'.[1]) Iisdem autem versibus perspicitur, Bacchidem I accurate de periculo quod sorori a milite immineret, instructam esse, non Pistoclerum. Quod cum nisi colloquio secreto factum esse non possit, iam apparet, sororem eo colloquio cum Bacchide I militem mox adventurum et se abducturum esse, nisi aurum renumeraret, communicavisse.

Quae cum ita sint, Bacchis II, nisi me fallit opinio, sororem in colloquium secretum avocavit, ut eam qua condicione miles se dimisisset, certiorem faceret atque eam consuleret, quomodo a milite se defendere posset; constituerunt autem sorores auxilio Pistocleri, quo militem arcerent, uti. Neque vero recta via, sed per ambages Bacchidem I a Pistoclero aurum quaerere Ritschelius p. 311—312 eleganter exposuit.[2])

1 Quod Pistoclerus II, 2, 45 rem recte perspexit; Ritschelius enim p. 312 iure hoc modo cum versum interpretatur: „Wenn aber Pistoclerus II, 2, 45 mit den Worten qui de amittenda Bacchide aurum hic exiget ebenfalls den richtigen Gesichtspunkt inne hat, so hat er die Wahrheit unterdess drinnen bei den Schwestern erfahren."

2) „Der Miles, heisst es v. 13 (47), werde gleich da sein, und bis zu seiner Ankunft möge doch Pistoclerus bei ihnen drinnen warten, um

Itaque Ritschelium secutus versus 42 sq. ita interpretor, ut Bacchis I nondum audeat, quomodo Pistoclerus sororem a milite tutari debeat, aperire, sed eum cautis illis verbis (v. 46) percontari, utrum ad argentum parandum induci possit necne. Versibus autem 47—48 (,sed hoc idem apud nos rectius Poteris agere' etc.) apparet, Bacchidem I sperare, rem sibi prospere cessuram esse, dummodo ne illecebris amoris elabatur, itaque eum blandis promissis (v. 49) ut secum in aedes intret, invitat.[1])

Sed, ut pergam, Pistoclerum non fugit ,viscum merum sororum blanditiam esse' (50) easque ,palumbem expetere' (51). Quam ob rem Bacchis I cum Pistoclerum blandimentis ut se sequatur induci non posse atque eum ab amoris periculis abhorrere intellegat, continuo alio modo eum tentat: ,Egomet' inquit v. 57, ,apud me siquid stulte facere cupias, prohibeam' id est ,tantum abest ut ego, id quod tibi in suspicionem venit, te amoris deliciis irretire velim, ut quominus me ames prohibitura sim'; ,Sed

---

sie dann gegen des Cleomachus etwaige Ungebühr (,iniuria' v. 59) in Schutz zu nehmen. Nun hatten sie aber vorher den Pistoclerus um Beistand gebeten für den Fall, dass nach abgelaufener Dienstzeit (ubi emeritum sibi sit, ubi ei dederit operas) Cleomachus sie nicht würde frei lassen wollen. Diese Zeit ist ja aber noch nicht da, und von einer Gefahr in jenem Sinne sonach noch gar keine Rede: was soll also jetzt Pistoclerus drin, und welche iniuria ist denkbar? Auch entschlüpft ihnen eine Andeutung der wahren Bewandtnis schon mit den Worten v. 57 (59) ,Ille quidem hanc abducet;' am verräterischsten aber dafür, dass es ihnen mit dem angegebenen Grunde nicht Ernst ist, ist der letzte Vers: ,Nam si haec habeat aurum' — — — — — — — — — — — — — — — — — Bacchis II — — — — — — wirft wie im Vorbeigehen aber wie etwas woran leider gar nicht zu denken sei, den Stossseufzer hin: ,freilich wenn sie Geld hätte, möchte sie noch lieber sich jetzt gleich und ganz von dem Soldaten losmachen. Um Geld von Pistoclerus ist's ihnen aber gerade zu thun".

1) Tartara finxit Bacchidem I non re vera timere, ne soror a milite abduceretur, atque Bacchidem I id simulasse tantum, ut Pistoclerum in aedes suas illiceret et ad amorem incitaret. Sed Bacchidibus verum a Cleomacho periculum imminuisse iisque verum Cleomachi timorem fuisse, iam satis demonstravimus.

ego apud me te esse ob eam rem, miles quom veniat, volo: Quia quom tu aderis, huic mihique haud faciet quisquam iniuriam. Tu prohibebis et eadem opera tuo sodali operam dabis, Et ille (Cleomachus) adveniens tuam med esse amicam suspicabitur' (58—59). Quibus versibus sententia haec inest, Pistoclerum, dummodo adsit, impedire posse, quominus Cleomachus sororem abducat, quocum cf. IV, 1, ubi Pistoclerus militis parasitum, qui Bacchidem II abducere vult, acribus verbis (vv. 592 sq.) repellit, ita ut parasito infecta re ad patronum redeundum sit.

Turbatur iamiam Pistoclerus Bacchidis I lepidis verbis itaque cum Bacchis I dubitantem adhortetur: ,Quid, amabo, opticuisti?, desinit ille contumeliis respondere (ut v. 55 ,mala tu's bestia') sed iam pericula quae sibi in aedibus meretricum immineant, verbis sibi depingit atque depingendo animum ipse ad libidinem excitat (vv. 65—72).

Bacchis I autem eadem via ac ratione, qua instituerat, progreditur et ,simulato' inquit ,me amare' (v. 75); antea enim dixerat: ,non me ames necesse est, dummodo adsis'; nunc autem: non me ames necesse est, dummodo simules me amare. Atque Pistoclero adhuc utrum ioco an serio id simulandum sit dubitanti Bacchis I nondum profiteri audet, se non solum propter militem optare ut Pistoclerus se amplexetur. Tum vero ipse quaerit sibine eam re vera, si forte velit, amare liceat (79—81); Bacchis autem prospero eventu elata statim exclamat: ,Apud me mi anime (sc. accubabis): ut lepidus cum lepida accubet. Locus hic apud nos, quamvis subito venias semper liber est. Ubi tu lepide voles esse tibi, mea rosa, mihi dicito: Dato qui bene sit, ego ubi bene sit tibi locum lepidum dabo' (81—84). His quoque verbis resistere videtur, sed frustra (85—87—88); nam cum Bacchis, artis meretriciae peritissima, sua nihil interesse simulet[1]) (vv. 89—90), utrum Pistoclerus secum in domum

---

1) Cf. Pers. IV, 3, 68, ubi Toxilus eodem artificio Dordalum lenonem incitat, ut virginem emat, dicens: ,Mea quidem hercle istuc nihil refert'.

introeat necne, ‚ingenio suo moderari non iam potest‘ (91), meretrici se emancupat (92) et Bacchidis se totum esse profitetur (93). Qua victoria Bacchis I laeta Pistoclerum iam amore adeo vinctum esse arbitratur, ut eum opulentum opsonium ad cenam, quam sorori dare vult viaticam, emere audeat iubere; Pistoclerus autem non solum in hac re ei morem gerit, sed etiam sua pecunia opsonium emere gestit. Jure igitur, postquam Pistoclerus ad forum abiit, Bacchis I sorori bonum piscatum gratulanti versibus 103—104 respondet: ‚Meus ille quidem est, tibi nunc operam dabo de Mnesilocho, soror, Ut hic accipias potius aurum quam hinc eas cum milite‘, id est ‚summa vi nitar, ut aurum ad te redimendam ex Pistoclero, quem amore modo mihi devinxi eliciam, ita ut Athenis cum milite abeas opus non sit, sed ut Mnesilochi amica esse possis.[1])

Errat igitur Tartara qui (p. 61) vv. 103—104 ita interpretatur: ‚Hactenus videlicet, Bacchis, in Pistoclero sibi conciliando, non incubuerat ad germanam liberandam, sed suas tantum res curarat, cum ipsa dicat protinus se iam strenuam operam sorori daturam esse‘. Nam Bacchis I operam dare vult, ut soror aurum accipiat potius quam eat cum milite; interrogandum igitur est, a quonam accipere velit; at si quis respondet: ‚Mnesilochi opera‘, primum Bacchis timere debet, ne soror prius a milite abduceretur, quam Mnesilochus advenisset; deinde, si Bacchis I — id quod nullo indicio probatur[2]) — exspectasset, Mnesilochum

---

1) Eodem modo Ritschelius sententiam versus 104 (p. 312) expedivit dicens: ‚Später, sobald die Schwestern wieder unter sich sind, erwähnen sie denn auch das Verhältnis zum Cleomachus (sc. cui aut aurum reddendum aut quocum Bacchidi II abeundum est) ganz in Uebereinstimmung mit der wahren Sachlage.

2) Nam quod Tartara Pistoclerum et Bacchides per epistolam Mnesilochi certiores factos esse coniecit, Mnesilochum suo tempore adfuturum esse: Mnesilochus Ephesi (v. 389) scire non potuit, se prius Athenas perventurum esse, quam miles cum amica abiret, itaque id Pistoclero perscribere nequit. Quid epistola eius continuerit, nescimus, nisi Pistoclero mandatum esse, ut Bacchidem Athenis inveniret (v. 390).

prius adventurum esse, quam Cleomachus abiisset, opus non fuisset Bacchidem I strenuam operam dare, ut soror aurum acciperet. amico enim ut amicam servaret non oportebat insidias struere. Itaque Bacchis I non dicit: ‚a Mnesilocho ut hic accipias potius aurum quam eas cum milite‘, sed ‚tibi nunc operam dabo de Mnesilocho, soror, Ut hic accipias potius aurum quam hinc eas cum milite‘. Ad quod e Pistoclero eliciendum quid opportunius esse potuit quam cena et potatio, quae ut opsonio a Pistoclero empto in aedibus Bacchidum continuo haberetur, convenerat.

At animadvertendum quidem est, Plautum Bacchidem I talem I, 1 fingere potuisse, ut a Pistoclero aurum quaerere nollet sed eum amatorem sibi facere cuperet; nam in fabulae continuatione sorores non a Pistoclero sed a Mnesilocho adipiscuntur, itaque Bacchis I Pistoclerum irretiendo non aurum, sed amatorem tantum nacta est. Sed tamen vidimus, Plautum Bacchidem I talem non depinxisse neque depingere potuisse, nisi scaena I, 1 ita mutata, ut Bacchides persuasum haberent, Mnesilochum, antequam Cleomachus Athenis abiret, eo ipso die adventurum esse.

Neque vero negari potest, scaenam I, 1 cuius conexum modo explicuimus, non sine arte et rerum humanarum peritia compositam esse: itaque eo minus cum Anspachio, qui (l. c. p. 2—6) huius scaenae versus alios aliis repugnare atque ob eam rem multos a Plauto abiudicandos esse censuit, consentiemus. Rectius de hac re iudicaverunt cum P. Weise dissertatione, cui titulus est ‚De Bacchidum Plautinae retractatione quae fertur‘, tum Langenus (l. c. p. 14 sq. et 250 sq.), qui quae Anspachius nimis subtiliter coniecerat, feliciter refutaverunt. Enarravit scaenam Goetzius Act. soc. phil. Lips. VI, 318 sq. id potissimum respiciens, quomodo Bacchis I Pistoclerum irretiverit.

III.

Ubi primus actus finiatur.

In fabulae parte reliqua non tam quomodo singulae sententiae se excipiant, quam scaenarum ordinem consideremus. Atque hoc statim mirum videtur quod Pistoclerus qui v. 100 dimissus est, ut opsonium emeret, iam v. 109 post breve colloquium Bacchidum redit. Neque enim dubitari potest, quin tempus, quo octo versus recitantur, ad opsonandum non suffecerit. Accedit quod primo huius scaenae versu ‚Jam dudum Pistoclere, tacitus te sequor' ipse Plautus indicare videtur I, 2 longiore intervallo a fine I, 1 seiungi. Quae cum ita sint, Ritschelius eumque secutus Goetzius in editione Ritscheliana actum primum scaena I, 1 finitum esse statuerunt, ita ut intervallo, quod sit inter actum I et II, Pistoclero satis temporis praeberetur ad opsonium parandum. Ritschelius enim p. 356 ita argumentatur: ‚Mit I, 1 67 (100) verlässt Pistoclerus die Schwestern, um ‚opsonium' einzukaufen; schon nach acht Versen soll er in der unmittelbar folgenden Scene wieder da sein, das Eingekaufte in der Hand (Vers 2, 6, 17 ff. 23). Solche Zumutungen sind es eben, die Plautus dem Illusionsvermögen der Zuschauer nicht macht, auch nicht in unwesentlichen Dingen; er und (dürfen wir hinzusetzen) die gesamte neue Komoedie suchen eben, als Ersatz für andere Einbussen, ihre Stärke unter anderm auch in der strengen Bewahrung der äussern Wahrscheinlichkeit. Also muss mit I, 1 der Act schliessen, damit die nötige Zwischenzeit zur Besorgung der Geschäfte verläuft.'

A Ritschelio autem dissentiens Ussingius (l. c. p. 383) actum I post I, 1 finitum esse negat; neque enim mirum esse censet, quod Pistoclerus tempore tam brevi peracto redeat, nam antiquos non tam anxios atque curiosos in probabilitate servanda fuisse videri, cum saepe, dum pauci versus in scaena proferrentur, res extra scaenam fierent, quae, si accurata temporis ratio haberetur nisi longiore spatio fieri non possent.

Idem fere Langenus de Plauto iudicat; qui ‚Studiis Plautinis' ex omnibus fabulis Plautinis multa talis neglegentiae exempla magna doctrina et subtilitate collegit, ut doceret Plautum rationi temporis non satis operam dedisse. Ille enim (l. c. 121): ‚Aus allem geht hervor, dass sich der Dichter rücksichtlich der Zeit, in welcher die Handlung verlaufen soll, sehr wenig Sorge gemacht hat.' Quo cum consentiens Langrehrus in recensendo Langeni libro[1]) ipse quoque Plautum rationem temporis habere negat, ita ut et brevia et longa temporis spatia ad eandem rationem sine offensione spectatorum illius aetatis vocaverit; itaque in distribuendis fabularum Plautinarum actibus argumentatione, quae temporis ratione nitatur, nisi caute utendum non esse.

Atque in hac virorum doctorum discrepantia e re erit iterum accuratissime examinari, Plautus in tractando tempore quod consilium secutus sit. In qua re caveamus necesse est, ne ex nostratium sentiendi more iudicemus de antiquae scaenae simplicitate. Itaque aliquam certe in hoc genere licentiam non dubitabimus concedere Plauto, sed aliud est accuratam temporis et loci rationem habere, aliud nullam.

Primum facile apparet unamquamque Plauti fabulam ita compositam esse, ut eas tantum res contineat, quae uno eodemque die actae esse videntur. Ita Captivos res uno die gestas complecti facile perspicitur: I, 2 (v. 175 sq.) enim Ergasilus parasitus ab Hegione ad cenam invitatur; ille autem lautioris mensae cupidus alium a quo ad cenam vocetur quaerit. Jam III, 1 a foro re infecta redit; in fine eiusdem scaenae ad portum se con-

1) Berl. phil. Wochenschr. a. 1887 p. 1277.

fert simul nuntians, se ad senis (Hegionis) ‚cenam asperam' rediturum esse, si spes cenandi in portu se fallat; IV, 1 redit a portu (cf. v. 869, 873), ubi Hegionis filium et Philocratem advenientes conspexit. Itaque iam elucet, actus I—IV res unius diei continere; attamen cum fabula ita composita sit, ut Philocrates II, 3 ab Hegione ab Aetolia in Elidem dimissus, ut filium Hegionis captivum liberaret, initio IV, 1 ab Elide in Aetoliam redierit: iter ab Aetolia in Elidem et ab Elide in Aetoliam uno die fecisse videtur. Quod uno die factum esse etiam inde apparet quod Hegio IV, 2, ubi parasitus filio in portu conspecto iam in scaenam advenit, secum reputans dicit se hodie a Tyndaro, servo Philocratis deceptum esse, ita ut Philocratem captivum, non servum eius Tyndarum, in patriam remiserit: ‚Quanto in pectore hanc rem meo magis voluto, Tanto mi aegritudo auctior est in animo. Ad illum modum sublitum os esse mi h o d i e (vv. 781—783)!' In fine IV Hegio filio obviam it, V, 1 iam cum filio et Philocrate redeuntibus in scaenam revertitur. Apparet igitur, haec omnia, quae quinque actibus fabulae continentur, uno die fieri a poeta fictum esse. Langenus igitur l. c. p. 120—121 Plautum vituperat, quod (vv. 781—783) ipse poeta confiteri videatur, iter ab Aetolia in Elidem et ab Elide in Aetoliam tam brevi tempore factum esse, quo re vera perfici nullo modo possit. Quo iure vituperaverit hos versus Langenus, nunc non curo; demonstrant certe hanc legem sequi Plautum, ut argumentum fabulae uno die coerceret. Addo personam parasiti, qua ratio temporis, ut supra vidimus, (praeter vv. 781—783) sustentatur, nonnullos viros doctos a Plauto aliunde ‚Captivis' insertam esse coniecisse,[1]) Quare quomodo in exemplari Graeco tempora disposita fuerint, ex Plauto non licet concludere.

Transeo ad ‚Militem gloriosum'. De qua praeter ceteras fabulas hic ago, quia ‚Militem' a Plauto contaminatam esse Lo-

1) v. Teuffel. l. c. p. 148.

renzius firmis argumentis ostendisse mihi videtur,[1]) itaque temporis ratio, quae in hac fabula reperitur, non poetae Graeco sed Plauto debetur.

In fine igitur I, 1 Pyrgopolinices miles ad forum abit (v. 72—77). Dum miles absens est, Sceledro, servo eius, a Palaestrione actu II os sublinitur, actu III Palaestrio et Periplecomenus consultant, quomodo militem ipsum auxilio Acroteleutii meretricis decipere possint; in fine autem III iam Palaestrio abit, ut militem a foro arcessat. Qui IV, 1 a foro reversus, latronibus et parasito ad Seleucum missis, iam perfecit [2]) quae I, 1 constituerat.[3]) Itaque cum miles in fine eiusdem actus in aedes Periplecomeni intret, ut amore Acroteleutii fruatur, intervallo autem, quod est inter finem quarti et initium quinti actus, domi Periplecomeni vapulet et initio quinti a Periplecomeno servisque eius captus rursus in scaenam prodeat, iam in aperto est, omnia quae quinque actibus huius fabulae continentur, uno eodemque die facta esse.

Idem valet de ‚Poenulo', quam contaminatam esse Langenus p. 181 sq. certissimis argumentis demonstrasse mihi videtur. In fine actus I Agorastocles abit (v. 447—448), ut testes ad lenonem dolo circumveniendum advocet; III, 1 cum testibus advocatis in scaenam redit; III, 5 leno insidiis Collabisci et testium circumventus in fine huius scaenae abit dicens: ‚Nunc ibo, amicos consulam, quo me modo Suspendere aequom censeant potissimum'; cum redeat V, 6[4]), iam apparet res uno die gestas Poenulo contineri.

1) Prolegomenis, quae editioni suae praemisit; cui assensit Langenus l. c. p. 169.

2) vv. 947—950 ‚Volup est, quod agas, si id procedit lepide atque ex sententia. Nam ego h o d i e ad Seleucum regem misi parasitum meum, Ut latrones quos conduxi hinc ad Seleucum duceret.'

3) cf. vv. 72—77.

4) ‚Decipitur' inquit ‚nemo mea quidem sententia, Qui suis amicis narrat recte res suas: Nam omnibus amicis meis idem unum convenit, Ut me suspendam, ne addicar Agorastocli.' (1338—1341).

Iterum Langenus in Rud., cuius argumentum uno die contineri demonstratione non eget Plautum l. c. 208 vituperat quod III, 6 (v. 885) Labrax leno in ius rapitur a Plesidippo atque V, 1 condemnatus eodem die in scaenam redit simul praedicans: ‚Quis mest mortalis miserior qui vivat alter hodie, Quem ad recuperatores modo damnavit Plesidippus.‘ [1]) Recte quidem; nam intervallo quod est inde a versu 885 usque ad 1281, non possunt ea, quae leno factum esse contendit, facta esse; sed ex Langeni observatione hoc tantum patet, peccasse Plautum contra morem nostrum, ut legem quam ipse sibi proposuerat observaret. [2])

Idem fere de Truculento dicendum est, de cuius compositione egit Reinhardt ‚De retractatis fabulis Plautinis‘, quae dissertatio legitur in Studemundi ‚Studiis‘ p. 80—111. Fabulam eam res uno eodemque die factas complecti atque primos quattuor actus paucarum horarum spatio contineri Reinhardt docuit; sed quod versibus 682—683 (III, 2, 14—15) ‚Heus tu, iam postquam in urbem crebro commeo, Dicax sum factus: iam sum caulator probus‘ efficere studet, partem fabulae Plautinae a retractatore eiectam interiisse, maxime fallitur. Argumentatio autem, qua Reinhardt utitur, haec fere est: II, 1 Stratulax, servus truculentus, homo tristis et severus est; III, 2 intellegitur, animum eius commutatum esse atque versibus, quos modo laudavi, ipse profitetur, quomodo mutatus sit: crebro in urbem commeando; deest autem tempus, quo crebro in urbem commeare potuerit, nam primi quattuor actus paucis horis in fabula, quae nunc exstat, continentur; itaque scaenas, quibus Plautum Stratulaci

---

1) vv. 1281—1282.

2) Fabulis nostrae aetatis saepe res paucis horis aguntur, quae diversis diebus factae sunt; contra Plautus in scaena res paucis horis agi noluit, nisi quas re vera paucis horis factas esse finxit. Eodem modo Plautus loci rationem, non minus duram, ut ita dicam, in omnibus fabulis adhibet; omnia enim, ut uno eodemque die, ita uno eodemque loco, ante aedes agenda proposuit; itaque fit, ut multa in platea agantur, quae re vera in platea nunquam fiunt; cuius rei exempla inveniuntur W. A. Becker, de com. rom. maxime Plaut. quaestt. (1837) p. 86, Langen. p. 230.

tempus ad commeandum et ad ingenium mutandum praebuit, postea, dum ‚Truculentus‘ denuo agitur, excidisse existimandum est; negari oportet ‚poetam in re qua tamquam fabulae cardo vertatur, quidquam fingere posse quod compositioni fabulae adversetur.‘

Cui opponendum est hoc potissimum: Plautus ‚Truculento‘, ut unaquaque fabula, res uno die gestas, agi voluit; itaque cum fabulam Graecam, quam Truculento imitatus est, retractaret, eas scaenas omisit, quibus res pluribus diebus gestas contineri apparebat; neglegenter retinuit 682—3, ita ut nunc ingenium servi, quo modo mutatum sit non intellegamus. Quare intellegitur, cur veteres Plautum reprehenderint, quod personae dignitas in Truculento servata non esset[1]); nam verisimillimum est, Plautum reprehensum non esse, quod personam mutavisset, sed quod mutationem nulla ratione firmasset.

Concedemus igitur Plautum, cum fabulas unius diei vinculo comprehendat,[2]) saepe peccare contra veritatem. Potuit autem haec

---

1) videas quae ad vv. 673 sq. adnotata sunt in editione Ritscheliana (a Fr. Schoellio recognita).

2) Ad quod probandum ut ceteras fabulas breviter percurram, ‚Amph.‘ argumentum una nocte continetur; ‚As.‘ I, 1 Libanus ad forum it, II, 1 redit, eodem die senex et filius cum Philaenio in a. V accubant; ‚Aul.‘ Euclio I, 3 ad magistrum curiae se confert, II, 3 redit, deinde ad forum it, reversus denuo in vicinum incidit, III, 6 in Fidei templum, deinde in lucum ollam abscondit, quae continuo a servo abripitur, in V. autem actu redditur; ‚Bacch.‘ I, 1 Pistoclerus ad cenam parandam abit, quae V. a. nondum finita est; ‚Cas.‘ I servi de conserva rixantur, II sortiuntur, eodem die IV. et V. Olympioni os sublinitur; ‚Cist.‘ II, ubi argumentum fabulae incipit, Selenium investigatur, eodem die invenitur et V. matri traditur; ‚Curc.‘ I, 3 mane Phaedromus apud Planesium versatur, ib. 51 dicit Curculionem suum hodie rediturum esse, II, 3 Curculio advenit, III, 1 saturatus est, IV, 2 virginem a lenone abducit, quae eodem die anulum servi cognoscit; de ‚Ep.‘ cf. I, 2, III, 2, V, 1; ‚Men.‘ I, 3 Menaechmus I ab Erotio ad forum it; ante reditum eius Menaechmus II ad Erotium se confert, cuius servus II, 3 abit et ante solis occasum V, 6 redit; ‚Merc.‘ I, 1 adolescens revertitur, eodem die V, 1 iterum peregrinari vult; ‚Most.‘ I, 3 cena apud scortum incipit, V, 1 adolescentes inde

incommoda si non removere, sed abscondere et mitigare auxiliis ex ipsa arte dramatica sumptis. Quibus subsidiis videamus nunc, num usus sit Plautus. Apparebit eum curasse, ut graviores temporum difficultates in actuum intermediis quasi laterent. Nolo autem multas illas quaestiones, in quas de hac re inciderunt viri docti, iterum movere.[1] Inter quos ubi dissentitur, breviter dicam quid iudicem. Nunc fabulas ipsas perlustremus. De fine actus tertii in ‚Amphitruone' iudicari non potest, quia magnum numerum versuum in fine III et initio IV excidisse fragmentis et conexu cognoscitur. Post IV, 3 autem temporis spatium, per quod Amphitruo fulmine Jovis perturbatus humi iacet, intervallo praebetur, quod inter actum IV et V est. ‚Asinariae' actum V Spengelius IV, 3 incipit, ne miles et parasitus tempore, quo intus Demaenetum cum scorto accubantem conspiciant, egere videantur. Quem sequi non dubito. ‚Aululariam' retractatem esse Goetzius Act. Soc. philol. Lips. VI, p. 311 sq. demonstravit et nonnulla excidisse satis apparet, itaque quemadmodum actus describendi sint difficile est dictu. Sedtamen post IV, 6, ubi res maxime poscit, finem actus statui posse Spengelius p. 50, Goetzius (praef. XII—XIII), alii consenserunt[2].

---

abiisse Tranio nuntiat; ‚Pers.' I, 2 Saturio cenam desiderat, V eam adipiscitur. ‚Pseud.' I, 1, 110 sq. Pseudolus heri filio se viginti minas hodie daturum esse promittit, V, 2 senex Ballione decepto servo aurum tradit; ‚Stich.' I, 2 Gelasimus arcessitur, II, 1 advenit, in eodem actu mariti peregre redeunt, cena habetur IV a maritis et a socero eorum, V a servis; ‚Trin.' I, 2 senes de aedibus emptis et de thesauro abscondito inter se colloquuntur, neque quidquam obstat, quominus eodem die virginem a Lysitele in matrimonium petitam, sycophantias a senibus ad dotem parandam structas esse, V, 1 patrem virginis rediisse arbitremur.

1) Ritschelius et socii, quos ad edendas fabulas Plautinas adhibuit, et Spengelius ‚Die Akteinteilung der Komoedien des Plautus', alii. Qui cum argumentis e conexu fabularum, aut e scaenarum compositione metrica aut aliunde sumptis distributionem probaverint, quae ratione temporis, quo extra scaenam aliquid fieri possit, indicari, ut ita dicam, videtur, in circulo vitioso non moventur. Ussingii argumenta, quibus Plautum fabulas in actus non divisisse docuit, imprimis Spengelius l. c. refutavit.

2) Quibus Langenus p. 108 fidem non denegavit.

In fine enim IV, 6 (v. 676) Euclio cum olla abit, ut eam in lucum Silvani, extra murum situm, abscondat; Strobilus eum clam sequitur. Scaena igitur vacua est, ita ut actus praecedens finiri possit, si res monent. Euclione et Strobilo dimissis, insequitur scaena IV, 7, qua Lyconides, Eunomia, Phaedra 19 versus pronuntiant, IV, 7 autem excipitur IV, 8, qua Strobilus cum olla surrepta iam reversus narrat, se multo prius Euclione ad locum praestitutum pervenisse, in arborem enisum exspectavisse, quo senex ollam absconderet, absconditam effodisse et abstulisse.[1]) Quibus a servo renuntiatis, iam Euclio redit in scaenam, postquam ollam ablatam esse vidit. Itaque cum nihil obstet, quominus actum praecedentem post IV, 6 (vel, quod eandem vim habet, post IV, 7) a Plauto finitum esse putemus, atque res, quas Strobilus et Euclio extra scaenam temporis spatio, quo 19 versus recitantur, perfecerunt, tam brevi tempore fiant, ut etiam Romanos aetatis Plautinae aegre laturos fuisse existimandum sit, nisi Plautus scaenas IV, 6 et IV, 8 intervallo, quod inter duos actus est, seiunxisset, non dubito quin iure viri docti hoc loco actus finem statuerint.

Huc etiam ‚Captivorum' IV, 3—IV, 4 referendum esse Langenum p. 123 secutus opinor. Ergasilus enim parasitus IV, 3 veniam impetravit, ut domi Hegionis genio indulgeret, itaque ultimo versu scaenae in aedes Hegionis abit (v. 908); versibus autem qui insequuntur (909—921) puer iam accurate describit, quemadmodum parasitus in cibos impetum fecerit: ‚Adveniens totum deturbavit cum carni carnarium, Arripuit gladium, praetruncavit tribus Legoribus glandia, Aulas calicesque omnis confregit, nisi quae modiales erant: Cocum percontabatur, possentne seriae fervescere. Cellas refregit omnis intus reclusitque armarium.' Spengelius tempus, quo puer parasitum intus saevire

---

1) vv. 705 sq. ‚Nam ut dudum hinc abii multo illo adveni prior Multoque prius me conlocavi in arborem: Indeque spectabam ubi aurum abstrudebat senex. Ubi ille abiit, ego me deorsum duco de arbore: Exfodio aulam auri plenam: inde exeo ilico.'

viderit, clamore parasiti expletum esse censet, quamquam non negat, post IV, 3 actum IV finire posse (p. 24); Ussingius tempus cantu tibicinis praebitum esse suspicatur. Equidem Langeni opinionem probo, qui finem actus IV post IV, 3 statuit [1]). Itaque spectatores puero credere potuerunt existimantes res, quas puer memorat, intervallo factas esse, quod inter duos actus est.

Jam transeo ad locum, quo Langenus gravissime offendit (p. 124—125). ‚Casinae' enim III, 1—4 Plautum temporis rationem nullam respexisse itaque non sine gravi spectatorum offensione eam fabulae partem agi potuisse investigasse sibi videtur: Lysidamum enim in fine III, 1 (v. 530) ad forum se conferre, initio autem III, 3 reversum indignari, quod in iudicio advocatus cuidam cognato adstans diem contriverit (v. 566—567), quamquam inter III, 1 et III, 3 versus 32 intersint et neque inter III, 1 et III, 2, neque inter III, 2 et III, 3 finem actus statuere liceat, vel, si quis Spengelium [2]) (p. 22—25) secutus actum II scaena III, 1 finire velit, intervallum inter II et III interesse nisi perbreve nequeat.

Ad quod probandum Langenus ita argumentatur: Actum II scaena III, 2 a Plauto finitum non esse apparet, cum Cleostrata, Lysidami uxor, in fine III, 2 se maritum redeuntem conspicere dicat isque continuo (III, 3) in scaenam adveniat. Sed etiam III, 1 continuo III, 2 excipi Langenus contendit ita argumentans: in fine II, 8, quae III, 1 praecedit, Chalinum servum Cleostratae, herae suae, nuntiare, maritum eius ob eam tantum rationem, ut ipsa Murrhinam vicinam arcesseret, petivisse, ut aedes vicinae libidini suae vacarent; consentaneum igitur esse, Cleostratam, simultate excitatam ad vicinam quam primum exire, ut

1) Nam quod Spengelius l. c. arbitratus est, IV, 3 et IV, 4 fine actus seiungendos non esse, magis enim spectatores delectari, si, postquam parasitus domum intraverit, puer continuo narret insolentiam parasiti: opponendum est, si IV, 3 et 4 actus fine separentur, spectatores bis, et in IV et in V, insolentia parasiti delectatos esse.

2) Quem sequitur Fr. Schoellius in editione Ritscheliana.

consilium mariti incassum reddat, atque cum initio III, 2, simulatque maritus in fine III, 1 ad forum abierit, prodeat, iam effici, III, 1 et III, 2 actus fine seiungere non licere; itaque hoc loco extra scaenam permagnam diei partem consummari, dum 32 versus in scaena agantur.

Non mihi persuasit Langenus: Cleostrata enim, nuntio de dolo mariti allato, quam primum ad vicinam exeat, ut consilium mariti turbet, opus non est; nam non eundo consilium mariti turbare et potuit et voluisse videtur. Loco enim accuratius perspecto Cleostratam apparebit dolo mariti intellecto, non, ut Langenus vult, constituisse quam primum vicinae dicere, ne veniat sed eam omnino non arcessere: ‚Nunc adeo nequaquam arcessam, ne illis ignavissumis Liberi loci potestas sit vetulis vervecibus' (534—535). Quibus versibus non apparet, Cleostratam ad vicinam ituram esse. Accedit quod cunctando vel non arcessendo vicinam, id quod sibi proposuit, magis vicinum sollicitare potuit, quam statim eundo, ut vicinam venire vetaret. Atque versibus eiusdem scaenae (III, 2) 9—10 elucet, vicinum aegre ferre, quod tamdiu Cleostrata differat, donec Murrhinam arcesseret: ‚Miror' inquit Alcesimus vicinus, ‚huc iam non arcessi in proxumum uxorem meam, Quae iam dudum si arcessatur ornata exspectat domi.' Deinde ne id quidem concedamus opus est, Cleostratam III, 2 ob eam rationem in scaenam prodire, ut ad vicinam se conferat atque se opere eius non indigere dicat; nam primum in fabulis Plautinis saepenumero personae in scaenam prodeunt ob eam solam rationem, ut aliquid cum spectatoribus communicent; deinde hoc loco suspicari licet, Cleostratam ex aedibus exire, ut, nonne maritus redeat circumspiciat; nam versibus 30—31 eiusdem scaenae, postquam vicinus abiit, dicit: ‚Nunc ego illum nihili, decrepitum, meum virum veniat velim, Ut eum ludificem vicissim, postquam hunc delusi alterum.' Itaque iam vidimus, post III, 1 longius intervallum actu finito apte quadrare, quam ob rem scaena III, 1 secundum actum a Plauto finitum esse, ne Lysidamus tempore ad diem conterendum egere videretur, iudicabimus.

Sequatur ‚Cistellaria,' ubi praecipue initium III ad quaestionem nostram pertinere videtur. In fine enim II, 3 Melaenis praedicaverat, se Selenium ad parentes ducturam esse; initio autem scaenae insequentis Melaenis iam cum Selenio foribus exit dicens: ‚Rem elocuta sum tibi omnem: sequere, mea Selenium, Ut eorum, quoiam esse oportet te, sis potius quam mea'. Cum nihil obstet, quominus tertia scaena tertium actum finitum esse putemus, tempus deficere non videtur, quo per intervallum, quod inter duos actus interest, Melaenis Selenium de ortu suo certiorem faciat. [1])

Etiam ‚Curc.' III, 1 huc cadit; nam Curculio, e Caria reversus, cum in fine scaenae praecedentis domum heri sui intraverit, ut vires longo itinere afflictas edendo et potando restitueret, saturatus iam III, 1, 14 prodit: ‚Nil tu' inquit enim ‚me saturum monueris: memini et scio. Ego hoc effectum lepide tibi tradam: tace (sc. Phaedrome, qui intus est.) Edepol ne ego hic med intus explevi probe' etc. Vides igitur inter II et III cenam positam esse.

Ad quaestionem nostram etiam ‚Epid.' I, 2—II, 1 refero. Ubi I, 2, 55—57 Stratippocles et Chaeribulus adulescentes intro abeunt; quibus dimissis Epidicus tres versus recitat (58—60), tum in easdem atque adulescentes aedes se confert, dicens: ‚Ibo atque adulescenti dicam, nostro erili filio (Stratippocli), Ne hinc foras exambulet neve obviam veniat seni' (61—62). Sed cur non paulo ante Epidicus adulescentes, cum in scaena adsint seni obviam ire vetat? Quod certe non ideo tantum sic instituit, ut in scaenam vacuam Apoecides et Periphanes prodire possent. Nam scaenae eiusdem v. 12 Epidicus rursus in scaenam redit, ut cum senibus conveniat. Curavit igitur poeta, ut inter act. II et III aliquid agi videretur itaque actus II iure finire posset.

Eadem ratione Pseudolus in fine I, 5 intro a poeta mittitur, ut actus I finiatur: ‚Concedere' inquit ‚aliquantisper hinc mi intro lubet, Dum concenturio in corde sycopantias. † † † † non

1) cf. Spengel. p. 48.

ero vobis morae. Tibicen vos interea hic delectaverit.' Cum Pseudolus scaena insequenti iam redeat, apparet, Plautum ob eam rem Pseudolum intus dimisisse, ut aliquo intervallo actus I et II seiungerentur, quod tibicen cantu expleret. [1])

Ep. V, 1 Epidicum intervallo, quod interest inter finem actus IV, ubi Periphanes ad forum abit, et initium V, Periphanem in foro lora ementem vidisse existimandum est; cf. Spengel. p. 27.

‚Men.' in fine II, 3 Menaechmus II in aedes meretricis intrat atque post scaenam insequentem, quae 17 versus continet, rursus exit, postquam intus prandit, potavit, scorto accubuit (v. 476). Proclive est cum Fr. Schoellio secundum actum post II, 3 finire, ne Menaechmus II tempore, quo illud extra scaenam efficiat, carere videatur. Tamen non deerant Spengelio argumenta, quibus post II, 3 actui secundo finem imponendum esse negeret, [2]) quae nunc non possum singillatim tractare.

Sed, quocunque modo haec res se habet, certe Plautus scaenam qua Menaechmus II ad cenam meretricis se confert, et eam, qua redit, cantico Peniculi, quod III, 1 continetur, divisit, ne spectatorum animi offenderentur, quod Menaechmus II tam brevi tempore apud scortum genio indulserit.

Men. V, 3 fine actus tempus praebetur, quo senex medicum arcessivit et medicum vocatum tamdiu exspectare potuit; versu enim 875 senex medicum arcessere vult, 882—884 autem dicit idem: ‚Lumbi sedendo, oculi spectando dolent, Manendo medicum, dum se ex opere recipiat. Odiosus tandem vix ab aegrotis venit.'

Ut cetera breviter complectar, huc etiam Mil. V, 1, Pers. IV, 1, Merc. IV, 6, Trin. III, 1, IV, 1, Truc. II, 5, alios locos refero, quos praetermittere licet.

1) v. Spengel. p. 12—15.

2) Is enim Plautum ita fabulam composuisse docet, ut primo actu Men. I, secundo Men. II, tertio Men. I, quarto Men. II, quinto Men. II et I deinceps rem agant; sed argumenta, quae attulit, incerta mihi videntur; p. 18—22.

Alia quoque huius generis auxilia facile deprehendas. Videas Aul. 204—206, ubi Megadorus tres versus pronuntiat, quibus opus non esset,[1]) nisi Plautus iis tempus sibi pararet, quo Euclio domi perquireret ollane auri plena intus integra esset.

‚Capt.‘ tempore, quo vv. 950—998 pronuntiantur, Tyndarus e lapicidina arcessitur. As. II, 3 Libanus et Mercator 26 versus pronuntiant, dum Leonida herum in foro adit et eum de dolo, quo Mercator decipiatur, certiorem facit. Quem locum Langenus, p. 102—103 iniuria reprehendit dicens: ‚Nun ist zwar Geschwindigkeit keine Hexerei, hier aber übersteigt dieselbe jede Möglichkeit: in der Zeit, dass 25 Verse gesprochen wurden, konnte Leonida, auch wenn der Weg nur kurz war, nicht einmal bis zum Forum gelangt sein, geschweige denn, dass alles vorhin Aufgezählte in diesem Zeitraum hätte ausgeführt werden können.‘ Cui opponendum est, si nimis anxiam temporis rationem in rebus, quae extra scaenam aguntur, postulamus, aut nullam fabulam, quoniam unaquaeque paucis horis in scaena agi debet, componi posse, aut nimis simplicem et ieiunam. [2])

Iniuria idem Langenus Men. 736—753 vituperavit, quod Decio senem debilem tam brevi tempore adducit. Conferas, dum Mil. II, 3, 76 (v. 346)—82 pronuntiantur, Palaestrio Philocomasium, quid Sceledro dicat, intus instruit, postquam eam ex aedibus militis per foramen parietis in aedes vicini arcessivit. Versus 76—82, quos interea Sceledrus recitat nihil aliud spectare videntur, nisi ut temporis spatium praebeatur, quo Palaestrio puellam educat.

Idem iudico de Mil. II, 6, 42—48.

---

1) ‚Credo edepol ubi mentionem ego fecero de filia, Mi ut despondeat, sese a me derideri rebitur. Neque illo quisquamst alter hodie ex paupertate parcior.‘

2) Recte enim Schillerus noster monet: „Der Schein soll nie die Wirklichkeit erreichen, Und siegt Natur, so muss die Kunst entweichen.“

Ceteros locos, qui huc pertinent, ne longus fiam, praetereo. Itaque ut breviter comprehendam, quae adhuc disputavi, saepe quidem temporis veritatem neglexisse Plautum concedendum est. Sed negari non poterit cavisse eum ne modum excederet. Hoc enim demonstrasse mihi videor, Plautum ut huius generis difficultates sive celaret sive leniret, cum alia sibi parasse subsidia tum usum esse fabularum in actus distributione.

Quae cum ita se habeant, ut tandem unde digressus sum revertar, iam Ritschelium secutus post Bacch. I, 1 finem primi actus propter temporis rationem statuam, si nulla res, quominus id faciamus, obstat.

Neque vero dubito, quin omnes Ritschelii opinionem probaturi fuerint, nisi post scaenam secundam longiore intervallo etiam magis opus esse videretur, quam post primi actus scaenam primam. Itaque post I, 1 ‚probabilitatem scaenicam‘ quam dicit non neglegi Tartara contendit, quoniam dum Pistoclerus opsonatur et coquum arcessit, 8 versus a Bacchidibus recitentur. Sed videas quemadmodum Tartara sibi constet! ipse enim post Bacch. III, 4 actum finiendum esse Ritschelium secutus censet, cum quattuor versibus, quos Pistoclerus pronuntiat (526—529), non satis temporis praebeatur, ut Mnesilochus in aedes patris ingressus aurum reddat et magna opera, ut pater Chrysalo ignoscat, impetret (v. 530 sq.). At, si tam brevi tempore opus esset, ut Pistoclerus in foro opsonaretur, cur non quattuor versus tempus explere possunt, quo Mnesilochus in aedes proximas abeat et patrem adeat! Hanc igitur Tartarae argumentationem reiciendam esse duco. [1]) Nunc iam ad argumentationem acce-

---

1) Neque magis versu 107, quo Bacchis II in fine I, 1 dicit ‚Simul huic nescio qui turbare qui huc it: decedamus,‘ vetamur post I, 1 finem primi actus statuere. Nam Ritschelius sagaciter explicuit, Pistoclerum, qui initio scaenae insequentis (I, 2) cum opsonio revertitur, verbis Bacchidis II dici non posse, cum Pistoclerus Bacchidibus non iam ignotus sit neque Pistoclerus aut paedagogus eius turbas agant; paedagogus enim primo versu I, 2 dicit: ‚Iam dudum Pistoclere, tacitus te sequor.‘ Schneidewinus autem Phil. 5, 375—376 versum 107 hoc loco sententia omnino carere itaque spurium esse habendum luculenter exposuit.

damus, qua Tartara post I, 2 finem primi actus Vulgatam secutus statuendum esse censuit, ita ut post I, 1 finis actus concedi nequeat: Initio I, 2, ut iam saepius commemoravi, Pistoclerus cum servis cibos portantibus et cum coquo conducto ad Bacchidum aedes contendit; clam sequitur eum Lydus, paedagogus eius severus, qui propter magnum apparatum suspicatur, alumnum aliquid mali in animo agitare. Lydus autem cum dubius esse non iam possit, primo huius scaenae versu Pistoclerum alloquitur; sed re perspecta frustra Pistoclerum, ne in aedes meretricias intret, retinere studet atque argutiis alumni irridetur irrisusque in aedes Bacchidum Pistoclerum sequi iubetur. Quibus ad Bacchides digressis, Chrysalus, Mnesilochi servus, Epheso reversus in scaenam advenit et hos versus dicit: ‚Erilis patria salve, quam ego biennio Postquam hinc in Ephesum abii conspicio lubens. Saluto te, vicine Apollo, qui aedibus Propinquos nostris accolis, veneroque te, ne Nicobulum me sinas nostrum senem Prius convenire quam sodalem viderim Mnesilochi Pistoclerum, quem ad epistulam Mnesilochus misit super amica Bacchide‘ (170—177). Quibus versibus a Chrysalo pronuntiatis, Pistoclerus continuo ex aedibus meretricum exit et, Chrysalo nondum conspecto, in limine ad Bacchidem I retro versus ‚Mirumst, inquit ‚me, ut redeam, te opere tanto quaesere, Qui abire hinc nullo pacto possim, si velim: Ita me vadatum amore vinctumque adtines‘ (178—180).

Hoc igitur loco quis est qui non offendat Pistoclerum aedes amicae iam relinquere, atque id, ut apparet invita amica neque ratione addita, cur exeat? Magis mirum est, quod Pistoclerus, qui Bacchidem I deperit, iam hoc loco domum eius relinquit, Lydus autem, qui propter Bacchides ira et odio imflammatus est, non simul exit, sed multo post III, 1 (cf. v. 368 sq).

Quam offensionem ut amoveat, Tartara inter I, 2 et II, 1 actu finito intervallum intercidisse dicit, quo cena facta esset. Sed primum Plautus, cum postea Chrysalum v. 716 e Mnesilocho quaerentem fingat ‚Dic, coctumnest prandium?‘ dum actus

II et III aguntur, opsonium coqui voluisse videtur, Bacchides autem et Pistoclerum adventum Mnesilochi exspectantes cenare cunctari. Deinde etsi Tartarae remedium adhibeamus, discrepantia, quam dixi, non expeditur. Nam si, ut Tartara vult, concedimus, cenam temporis spatio illo, quod inter primum et secundum actum post I, 2 intersit, habitam et, cum Chrysalus adveniat, iam confectam esse, tamen Charybdi vitata in Scyllam incidimus; nam qua ratione concedere licet, Lydum paedagogum severum, per totam cenam in aedibus meretriciis morari atque etiam cena finita, postquam Pistoclerus abiit, tamdiu apud meretrices versari? Quod enim Tartara scaenam III, 1, qua Lydus tandem aedes Bacchidum relinquit, fabula Plauti genuina ante II, 1 locum obtinuisse postea autem ab actoribus scaenarum ordinem mutatum esse docuit, iam videbimus quantopere a vero aberraverit.

Itaque cum post I, 2 actum primum finire non liceat, iam nihil obstat, quominus scaena I, 1 actum primum a Plauto finitum esse censeamus. Ad quam opinionem stabiliendam etiam similium locorum comparatio multum valebit. Aul. quidem II, 2 Megadorus et Strobilus, ut Pistoclerus in Bacch. I, 1 opsonatum abeunt; initio II, 4 opsonium emptum et coquus conductus est; inde a fine II, 2 usque ad initium II, 4 duodecim versus pertinent. Sed actum II scaena II, 3 apte finire, ita ut intervallum, quo opsonentur, praebeatur, Spengelius l. c. docet.[1])

Cas. II, 8 Olympio oposonatum abit, III, 6 redit; Men. I, 4 Culindrus opsonatum mittitur, initio II, 2 omnia comparata sunt. In Merc. inde a III, 3 usque ad IV, 2 Lysimachus opsonatur; in Truc. Diniarchus Phronesio II, 4 cibos mittere vult, II, 7 cibi adportantur; post II, 4 Spengelius p. 53—54 et Fr. Schoellius in editione Ritscheliana actum finire recte voluerunt.

---

1) Idem opinatur Goetzius praef. ad Aul. p. XIII.

IV.

De II, 1—2 et III, 1.

Supra p. 44 diximus fabulae conformationem offensione non carere, quae multo melius procederet si Plautus rem ita instituisset, ut Lydus aut simul cum Pistoclero ex meretricum aedibus exiret aut ante Pistoclerum; accedit, quod Plautus Lydum III, 1 dicentem facit Bacchidum aedes Orci similes esse et ipsas Bacchas acerrumas, quae hominum sanguinem exsorbeant; quae ut aspexisset, se continuo in pedes se contulisse, itaque coniciendum est, Lydum quam primum Bacchidum aedes reliquisse. Quam turbam ne Plauto imputet Tartara, ut iam commemoravi, scaenam III, 1 qua Lydus egreditur, olim primam actus secundi fuisse suspicatur, ita ut in fabula genuina Lydus prior ex aedibus exierit (III, 1), deinde Chrysalus advenerit (II, 1), tum Pistoclerus Bacchides reliquerit (II, 2). Sed Tartarae opinionem iam Seyffertus, qui Tartarae librum l. c. recensuit, gravissimis argumentis refellit. Scaenam enim III, 1 eo loco, quem nunc obtinet, a Plauto positam esse luculente apparet. Nam in fine II, 3 quae III, 1 praecedit, Chrysalus ad forum abit, ut Mnesilochum de inventa Bacchide amica certiorem faciat; in scaena autem III, 2, quae III, 1 insequitur, Mnesilochus a Chrysalo certior factus est; sed quonam tempore hoc fieri potuit, nisi inter II, 3 et III, 2 intervallum intercidit scaena III, 1? Neque enim post II, 3 finem actus statuere licet, nisi fabulam in sex actus describendam esse

Ritschelio concedimus.[1]) Sed licet actus II scaena II, 3 finitus sit, Lydus initio eiusdem actus e Bacchidum aedibus proruat, ut patrem alumni insolentis et impudentis auxilio arcessat (vv. 383—384 ‚De me hanc culpam demolibor, iam et seni faciam palam, Ut gnatum ex lutulento caeno propere hinc eliciat foras‘): qui fieri potest, ut pater et Lydus per totum actum secundum et per intervallum, quod est inter actum II et III remorentur, donec tandem III, 3 ad Bacchidum aedes accedant, ubi salus filii agitur? Quod eo minus concedere licet, quia Plautus domus Philoxeni, qui pater Pistocleri est, et Bacchidum vicinas esse sibi voluit.[2]) Quae cum ita sint, scaenam III, 1, ubi Lydus ex aedibus Bacchidum egressus patrem arcessitum abit, a scaenae III, 3, ubi eum adducit nisi una scaena III, 2 seiungere non licet, itaque III, 1 a Plauto, non ab actoribus eo loco, quo nunc invenitur, collocata est. Apparet igitur, Tartarae medela fabulae compositionem non sanari sed turbari.

---

1) Quam Ritschelii suspicionem Spengelius p. 36 et Goetzius reiecerunt.

2) Omnes totius fabulae scaenae aut ante Bacchidum aut ante Nicobuli, patris Mnesilochi aedes, quarum altera iuxta alteram sita est, aguntur. Quod apparet scaena II, 2, ubi Chrysalus Pistoclerum ex Bacchidum aedibus exeuntem conspicit (v. 204), Pistoclero autem ad Bacchides reverso, fores Nicobuli concrepantes audit (v. 234), quo facto Nicobulus domo sua exit. Opinio, quam attuli, etiam versibus 205—206 probatur. quibus Chrysalus laetus exclamat, Bacchides ‚proxumae viciniae‘ habitare. Idem elucet IV, 7, qua Nicobulus et Chrysalus ante aedes suas versantur et Chrysalus v. 832 dicit, tribus passibus ad Bacchidum aedes perveniri. Sed non solum Bacchidum et Nicobuli domus iuxta positas esse, sed etiam domum Philoxeni proximam esse, ita ut tres illae domus a spectatoribus conspiciantur, verisimillimum est propter II, 1, ubi Chrysalus in scaenam peregre advenit. Nam cum in ea scaena, qua Bacchidum et Nicobuli heri fores conspiciuntur, oret, Apollo, qui ‚propinquos heri aedibus accolit‘, faciat, ut ipse prius cum Pistoclero sodali Mnesilochi, quam cum hero suo conveniat; quo iure Plautus Chrysalum prope heri, quem vitare vult, aedes accedere fingit, nisi Nicobuli Pistoclerique, quem quaerit, aedes proximas esse cogitavit?

Cui difficultati succurat fortasse quispiam ita, ut pristinum scaenarum ordinem a retractatore mutatum esse dicat putans Chrysalum et Pistoclerum iam I, 1 convenisse, ubi Pistoclerus Bacchides primum, non initio II, 2, ubi iterum relinquere videtur. Scaenarum enim ordine ita mutato primum post I, 1 continuo II, 1 insequeretur, ut Chrysalus in Pistoclerum incideret; quo facto opus non esset, ut Pistoclerus Chrysali inveniendi causa Bacchides iterum (II, 2) relinqueret. Postquam Pistoclerus et Chrysalus, quid faciendum esset, consultaverunt, Pistoclerus opsonatum abiret. Lydus cum Pistoclero a foro reverso ad meretrices se conferret (I, 2) sed prius, quam Pistoclerus, iam III, 1 inde aufugeret; interea II, 3 Nicobulus a Chrysalo deceptus esset. Quam opinionem quominus sequamur impediunt versus qui in fine I, 1 et initio II, 2 inveniuntur qui nisi cum scaenarum ordine, quem in libris legimus, congruunt; neque scaena I, 2, ubi Pistoclerus cum opsonio ad amicam redit, apto loco collocari potest, postquam Pistoclerus a Chrysalo Mnesilochum advenisse comperit; nam exspectari debuit, ut Pistoclerus priusquam opsonaretur et opsonatus rediret, Mnesilochum quaereret vel eum, ut a Chrysalo nunc in fine II, 2 iubetur, apud Bacchides opperiretur. Itaque tantum abest ut Plautum ab inelegantiae crimine defenderetur, ut novis eum maculis adspergeretur.

Ritschelius igitur scaenam II, 2, ubi Pistoclerus ratione non addita Bacchides relinquit, ita explicat, ut Pistoclerum nescio quid oblitum ex Bacchidum aedibus exire putet; neque vero feliciter, nisi me fallit opinio. Nam cur neque hoc loco neque alio indicatur, Pistoclerum aliquid oblitum esse, aut cur, si quid eum oblitum esse concedemus, non servus mittitur, a quo arcessatur?

Quae cum ita sint, negari non potest, Pistoclerum contra veri speciem II, 2 a Bacchidibus ire, nimirum, ut a Chrysalo, a quo quaeritur, inveniatur. Noli autem putare egredientem Pistoclerum simul Bacchides relinquere velle. Immo multo post Lydum, qui III, 1 eas relinquit, ille III, 5 abire vult.

Itaque cum nulla interpretatione hic scrupulus amoveri possit, reliquum est, ut unde ortus sit, perquiramus. Ut a Langeno incipiam, is quidem rem enotasse satis habuit (l. c. p. 113), tales lapsus a Plauto alienos non esse ratus. Sed cum nullo alio fabularum Plautinarum loco inveniatur non solum aliquem contra exspectationem ex aedibus exire sed etiam simul aliam personam intus remanere, res digna esse videtur, quae indagetur. Praecipue autem investigandum est, utrum soli Plauto turba, quam dixi, vitio ducenda sit, an etiam Menandro, cuius Δὶς ἐξαπατῶντα Plautus Bacchidibus imitatus est.

Primum ad Tartaram nos vertamus, qui Bacchides contaminatam esse censuit.[1]) ‚Ni valde fallor‘ inquit ille p. 36, nihil fuit apud Menandum inter Bacchidum scaenam I, 1 quae hodie prima legitur, et Chrysali adventum (II, 1). Finis erat primi actus, credo, puellis lavatum abeuntibus (I, 1). Prodeunte Chrysalo secundus actus incipiebat nullo inducto Pistoclero cum opsonio redeunte.‘ Ad quod demonstrandum hac utitur argumentatione: Pistoclerus qui I, 1 tamdiu cum Bacchidibus agit, Lydi mentionem non facit, quamquam omnia profert, quibus cur Bacchides sequi non debeat, cognoscatur. Deinde Pistoclerus paedagogum adeo timet, ut eum ad Bacchides secum trahat, attamen postea non impedit, quominus ex Bacchidum aedibus effugiat. Tum Pistoclerus neque Chrysalo (II, 2) neque Mnesilocho (III, 5) narrat, quemadmodum Lydus risui fuerit et quomodo se apud meretrices habuerit. Denique Pistoclerus, postquam a Lydo Mnesilochum de amore suo certiorem factum esse accepit, in Lydum absentem, quod se subduxerit, non invehitur. At quamquam nullo fabulae loco praedicatur, Pistoclerum timore commotum in aedes Bacchidum paedagogum, ne patre rem indicaret, induxisse, tamen Tartarae concedendum est, Lydi personam a fabulae conexu paullo alieniorem esse. Quibus argumentis Tartara

---

1) Quamquam simul arbitratur, scaenarum ordinem Plautinum ab actoribus turbatum esse.

addidit, tribus scaenis quibus Lydus prodit (I, 2, III, 1. III, 3) careri sine fabulae damno posse, cum nihil ad fabulae nodum pertinerent, et paedagogo omissa fabulam simpliciorem fieri. Neque vero Tartara in his sibi ipse constat, cum non neget Mnesilochum a Lydo de Pistocleri amore doctum esse itaque propter Lydum fieri, ut Mnesilochus aurum patri reddat atque Chrysalus bis patrem decipiat necesse sit. Sed num Tartara recte arbitratus sit, quemlibet alium in Menandri fabula Mnesilochum de sodalis amore certiorem facere potuisse, ex argumentis quae a Tartara attulit, diiudicare non licet itaque argumentationem eius a Seyfferto l. c. reiici mirum non est.

Doctius autem multo ante Ladewigius (Phil. 17) de Bacchidibus contaminata egit, neque Goetzius quamquam Ladewigium multis argumentis, quibus ad probandam contaminationem usus est, errasse ostendit, refellere potuit quae Ladewigius de II, 2 et III, 1 protulit; qui etsi mirum esse concedit Lydum Pistoclero egresso tamdiu apud meretrices remanere, negat tamen contaminatam esse fabulam inde sequi.

Mihi autem, ut dicam, quid sentiam, contaminationis indicia esse videntur apertissima. Inde enim omnes offensiones repetundae sunt, quod duo conectendi argumenti diversa consilia in unum coacta esse appareat. Secundum alterum Lydus a poeta in Bacchidum aedes mittitur, ut postea Mnesilochum Bacchidibus spectatis certiorem facere possit. Huius etsi nunc tecti et absconditi vestigia p. 44 sq. detexisse nobis videmur; fabulae autem genuinam naturam debuit Plautus immutare, quia aliunde personam Lydi immiscuerat.

Tanta enim ex hac coniunctione incommoda orta sunt quanta in nulla Plauti fabula inveniuntur. Nam una illa quae cum Bacchidibus comparari potest, Cas. III, 6 sq. ipsa quoque contaminata est. Ibi Olympio cum coquo et opsonio a foro redit, postquam II, 8, 68 a Lysidamo hero opsonari iussus abiit, herus ipse in fine scaenae insequentis (III, 1) ad forum contendit, in actus autem insequentis scaena tertia. Lysidamus redit, postquam d i e m i n f o r o c o n t r i v i t (v. 566). Quam

scaenam sequitur altercatio inter Lysidamum et vicinum, deinde Pardalisca Lysidamum turbat nuntians, Casinam intus saevire. Tandem aliquando Olympio cum opsonio revertitur. Sed qui concedere licet, poetam Graecum cum hanc fabulam excogitaret, Olympionem, qui opsonium emit postea redeuntem finxisse quam Lysidamum, qui d i e m f o r i s c o n t r i v i t? Num Olympio opsonium emendo etiam maiorem diei partem contrivit quam Lysidamus cognatis in iudicio adstando? Accedit, quod nulla ratio invenitur, qua cur Olympio tamdiu in foro moratus sit, perspiciatur.

Quae turba unde nata sit, expediri non potest, nisi fabulam contaminatam esse concedimus. Atque iam Ladewigius (Mus. Rhen. 3, 186 sq.) gravissimis argumentis Casinam contaminatam esse contendit, scaenas illas III, 2—III, 5 quibus Cleostrata maritum risui duplici modo habet a Diphili *Κληρουμένοις*, quam Plautus Casina imitatus est, alienas fuisse iudicans; scaenas enim quas dixi, ad fabulae argumentum non pertinere ait; atque cum e prologo apparere, nonnullas fabulae Graecae partes a Plauto omissas esse, investigaverit, coniecit, Casinam e Sortientibus mutilata et alia fabula consertam esse. Partes autem, quas Ladewigius notavit, a fabulae argumento alienas esse etiam Ritschelius vidit, qui Opusc. II, 746 recte monuit: ‚Diese List der Pardalisca (quae senem falso nuntio turbat III, 5) geht ohne Wirkung auf die Handlung vorüber und ebenso wird der Faden nicht weiter ausgesponnen, den Cleostrata anknüpft, indem sie Murrhina nicht abholt und ihren Mann gegen seinen Nachbarn aufzuhetzen sucht. Es scheinen diese Einfälle nur für das vorübergehende Amusement des Publikums berechnet gewesen zu sein, ohne Rücksicht darauf, dass sie durch ihre Zusammenhanglosigkeit mit der Handlung selbst der künstlerischen Vollendung des Stückes einigen Eintrag thun.‘

Plautus igitur offensionis illius auctor, non Diphilus. Plautus enim III, 1 Lysidamum ad forum mittit, ut Cleostrata, uxor eius, locum et tempus habeat, quo maritum et vicinum lepido

dolo dissociet,[1]) de suo addens illas Cleostratae insidias quae a Diphili fabula certe alienae fuere. Itaque Olympio apud poetam Graecum suo tempore in scaenam redire potuit. Non offendebet autem Plautum neglecta temporis ratio, cum Lysidamum, quem propter dolum Cleostratae prius in scaena adesse opus erat, prius domum reduceret, quam Olympionem.[2])

Simili modo etiam in Bacchidibus scaenarum ordinem exemplaris Graeci mutatum esse conicio; quod ut luculentius appareat, etiam sequentes scaenas breviter examinabimus.

---

1) Eadem ratione in Men. Menaechmus I et in Mil. miles ad forum a poeta mittuntur.

2) Cum hoc loco comparare non licet Men. 986 sq., ubi Langenus p. 155 Messenionem, servum Menaechmi II, a taberna ad herum serius reverti, quam exspectandum sit falso monet. Nam quod censet, servo redeundum fuisse antequam prandium apud meretricem a Menaechmo II finitum esset, Langenum fugit, Menaechmum II servo non imperasse, ut quam celerrime vel statim a taberna ad se rediret, sed hoc potius: ‚Tu facito ante solem occasum ut venias advorsum mihi,' v. 437.

V.

Qua ratione scaenae insequentes compositae sint.

Secundum actum Spengelius et Goetzius recte post III, 4 finivisse videntur. Nam Ritschelius, qui dubitavit, utrum fabulam in quinque an in sex actus describeret, et post II, 3 secundum actum libenter finisset, Spengelii[1]) et Goetzii[2]) assensum adeptus non est. Ritschelius autem post II, 3 vel post III, 1 actum secundum finiri censuit, quia scaena ‚quae est a versu 368 ad 384' brevior ei videbatur, qua illa omnia Mnesilochus e Chrysalo resciseret, quae vv. 390 sq. sibi innotuisse testatur. Sed As. II, 2 Leonidam ad forum ire, senem de Mercatore certiorem facere, redire temporis spatio, quo in scaena 25 versus recitantur, supra vidimus, itaque non habemus, cur hac re offendamus. Plautum autem post II, 3 actum secundum finisse veri dissimillimum est, cum concedere non liceat, Lydum, qui rebus apud Bacchides spectatis continuo in pedes se contulit (v. 374) non solum per totum actum sed etiam per intervallum, quod inter duos actus interest, in Bacchidum aedibus remoratum esse. Neque post III, 1 actus finem statuendum esse Spengelius recte l. c. docet; nam quod Lydus III, 1 abeat, ut patrem arcessat et III, 3 cum patre in scaenam redeat, suspicandum esse, has scae-

---

1) l. c. 36—37;

2) videas editionis p. 20, quae Goetzius adnotavit.

nas non fine actus sed una scaena (III, 2), ut eiusdem actus essent, a Plauto seiunctas esse.[1]) Quocum eo magis consentio, quia domum patris Bacchidibus proximam esse supra vidimus.

Sed tamen dubitare licet, num etiam apud poetam Graecum Mnesilochus tempore tam brevi omnia a Chrysalo resciverit; nam in omnibus fere fabulis Plautinis maius temporis spatium, quo quis ad forum eat et redeat, praeberi mox videbimus.

Porro in meditationibus Mnesilochi, quae III, 2 continentur, mirum est, quod non intellegitur, ubi Chrysalus versetur, postquam Mnesilochum in foro invenit. Sed cum auro parato non iam auxilio Chrysali opus est, cogitare licet, Chrysalum usque ad IV, 4 in foro remorari. Sed tamen mirum est, de hac re nihil commemorari.

Venio ad gravius contaminationis indicium. Secundum actum vidimus a I, 2 usque ad III, 4 pertinere. Cuius actus scaena quarta (v. 348) Nicobulus senex ad forum se confert, ut Mnesilochum filium inveniat, unde III, 4 nondum rediit. Tamen in fine III, 4 Mnesilochus filius domum patris intrat, ut patri aurum reddat et v. 530 (III, 6), in actu insequenti, narrat, se patri omne aurum reddidisse. Tum IV, 6 Nicobulus ex aedibus suis exit.[2]) An periit scaena, qua Plautus senem a foro domum reduxerit, eiectane est a retractatore? Immo non potuit excidere, nam scaenae III, 2, 3, 4, quarum prima Mnesilochus soliloquium habet, secundae initio Philoxenus et Lydus, qui Mnesilochum non conspiciunt, inter se colloquuntur, tum Philoxenus, Lydus, Mnesilochus, tertia Mnesilochus solus in scaena remoratur, tam arte inter se cohaerent, ut a Plauto eas nulla scaena seiunctas esse eluceat. Restat igitur, ut Nicobulum inter III, 1 et III, 2 rediisse arbitremur; sed veri dissimillimum est, Nicobulum ante Mnesilochum filium a foro rediisse; nam primum concedere non licet, Nicobulum, qui v. 348 ad forum abierat, ut filium quaereret, iam post III, 1 (v. 384) rediisse, quamquam eum non invenit; tum scaenam, qua Nicobulus redierit, inter III, 1 et III, 2 apud Plautum non fuisse verisimile est, ne scaena III, 1, in cuius fine Lydus patrem arcessitum abit, a III, 3, ubi Lydus cum patre advenit, longiore intervallo dividatur. Neque Nicobulum intervallo quod inter duos actus est, revertisse fingere possumus, nam neque ante III, 1 neque post III, 1 actum finiri supra vidimus. Sed faciamus ante III, 1 actum finiri, Nicobulum intervallo, quod exstat inter III et IV tacite redire. Restat quaestio, sitne e more Plautino actores ita reducere? Apte comparatur As. I, 3 et II, 2 (v. 329)[1]); I, 3 Argyrippus ibi adulescens ad forum se confert; II, 2 domi amicae Argyrippum esse Libanus indicat, quamquam scaena qua reverterit, non invenitur. Quam rem Ribbeckius (Mus. Rhen. 37, p. 55) ita expedire conatus est, ut post I, 3 actum primum finiri itaque Argyrippum intervallo, quod inter duos actus intercidit rediisse arbitretur.[2]) Spengelius vero p. 47 aliter de hoc loco sensit, cum dicat: „Der Ausweg, seine (Argyrippi) Rückkehr in's Haus könne in einen Zwischenakt fallen, wäre irrig und gegen alles Herkommen. Denn da die Bühne offen ist, geschieht das Eintreten in ein Haus, dessen Thür sichtbar ist, und ebenso das Heraustreten immer nur innerhalb des Stückes vor den Augen der Zuschauer. Quam

1) Spengelius locum apte cum As. IV, 2—V, 2 comparat.

2) Senex filium in foro invenisse non videtur; sed neque hoc, neque cur redierit, neque quando, commemoratur.

1) cf. III, 1.

2) Ribbeckii opinionem Langenus p. 101 festinantius secutus est, cum doceat „Ribbeck hat diese Bedenken in überzeugender Weise beseitigt: nach 248 tritt Aktschluss ein, während der Pause ist Argyrippus vom Forum zurückgekehrt, die Cleaereta aber ausgegangen und so hat ihn Philenium gegen das Verbot ihrer Mutter eingelassen, wesshalb ihr Cleaereta, als sie beim Beginn des III. Aktes wieder nach Hause kommt, heftige Vorwürfe macht 504 f.: ‚nequeon ego ted interdictis facere mansuetum meis? An ita tu's animata, ut qui expers matris imperio sies.‘ Sed opponendum est, nullo huius scaenae versu intellegi Cleaeretam propterea succensere, quod Philaenium d e n u o amicum ad se admiserit; tum respiciendum non esse, quomodo res fieri potuerit, sed quomodo Plautus finxerit rem fieri.

ob rem Spengelius scaenam, qua apud Plautum Argyrippus ad Cleaeretae domum reverterit, excidisse censet.

Utrius opinioni assentiemur, Ribeckkii an Spengelii? Bacch. quidem loco, de quo agimus neque Ribbeckii neque Spengelii opinio ad rem expediendam valet, cum Nicobulus neque intervallo, quod inter duos actus est, redire potuerit, neque scaena, qua apud Plautum redierit, excidisse possit. Quae cum ita sint, priusquam de hoc loco diiudicamus, omnes locos Plautinos, qui cum nostro comparari possunt, perlustrabimus. Ut ab Aul. incipiam, II, 3 (v. 274) Euclio ad forum se confert, redit II, 8 (v. 371); ib. II, 2 (v. 264) Strobilus ad forum it, II, 4 (v. 280) redit. Idem facit ib. II, 2 (v. 2..4) — III, 5 Megadorus;[1]) As. I, 1—II, 1 Libanus; Bacch. II, 3—IV, 4 Chrysalus; ib. IV, 9—V, 1 Nicobulus; Cas. III, 1—III, 3 Lysidamus; ib. II, 8 (v. 503)—III, 6 Olympio; Capt. I, 2 (v. 191) — III 1 Ergasilus;[2]) Curc. IV,4 — V, 3 leno; Ep. III, 3—V, 1 Apoecides; IV, 2—V, 1 Periphanes; Epidicus III, 2—V, 1; Men. I, 3 (v. 213) — IV, 2 (cf. v. 597). Menaechmus I; Merc. II, 3 (v. 465) Demipho ad portum ire vult, III, 2 redit; ib. III, 4—IV, 5 Eutychius; Mil. I, 1—IV, 1 miles ad forum iit et rediit, item III, 3, 61—IV, 1 Palaestrio; Most. III, 2, 167—IV, 3, 6 Simo; Rud. III, 6—IV, 8 Plesidippus; IV, 6—IV, 8 Trachalio; Poen. I, 3—III, 1 Agorastocles; Pseud. I, 3—III, 2 Ballio; ib. II, 4 (v. 764) — IV, 1 Pseudolus; Trin. III, 3 (v. 815) Megaronides ad forum it ut Sycophantem conducat. IV, 2 (cf. v. 840) sycophanta a platea in scaenam prodit, Megaronides ipse non iam in scaenam venit; ib. III, 2 (v. 727) Stasimus ad forum it, IV, 3 redit.

Itaque apparet, in fabularum Plautinarum compositione eam rationem adhibitam esse, ut si quis per scaenam domo abiret, etiam per scaenam domum rediret.[3]) Qua ratione eo magis opus

---

1) Priore numero scaena significatur, qua quis ad forum abit, altero scaena, qua redit.

2) idem III, 1 ad portum it, IV, 1 redit.

3) Eadem ratione Terentius utitur: cf. Adelph. 312—346, Andr. 226—235, Hec. 273—450, Phorm. 312—346.

fuit, cum omnia uno eodemque die gesta esse unaquaque fabula fingatur. Itaque mirum non est, Plautum huic rationi etiam iis locis operam dedisse, quibus rem non ita fingere aut potuit aut voluit, ut persona, quae domo per scaenam abit, per scaenam domum rediret; ad id enim efficiendum Plautus artificio quodam usus est. As. quidem III, 3 Leonida servus, qui v. 740 ab Argyrippo patrem arcessere iubetur, vv. 741 sq. respondet: ‚Iam dudumst intus — — — — Angiporto — — — Illac per hortum transiit clam, ne quis se videret Huc ire familiarum: ne uxor resciscat metuit.‘ Sed cum paullo post pater cum meretrice in scaena id est ante aedes meretricis accubet, ubi quilibet eum conspicere potuit, Plautus ob eam rationem senem per hortum intromisisse mihi quidem videtur, ne ea scaena, qua senex ad meretricem transiret, opus esset.

Merc. ultima scaena Demipho in aedes vicini abit, ut filium visat dicens ‚Illac per hortum nos domum transibimus‘ (v. 1009); quibus verbis poeta se excusare videtur, quod scaena desit, qua Demipho et filius per scaenam domum redeat.

Most. V, 1, 3—5 haec Tranionis verba leguntur: ‚Nam erus me postquam rus misit, filium ut suum arcesserem, Abii illac per angiportum ad hortum nostrum clanculum. Ostium quod in angiportust horti, patefeci foris, Eaque eduxi omnem legionem, et maris et feminas.‘ Quibus verbis poeta indicat, qui fieri possit, ut Tranio, qui IV, 2, 27 per scaenam rus abiit, hoc loco domo exeat, et ut Callidamates, qui II, 1, 39 ebrius domum Tranionis abripitur, tamen V, 2 non domo exeat, sed a platea in scaenam veniat.

Pers. III, 3, 39—41 leno a Toxilo per angiportum ad forum ire et eadem via ad se mulierem mittere iubetur; itaque scaena qua Lemnesilene ad Toxilum transeat, opus non est (cf. IV, 3, 20) et leno IV, 3 memorare potest, se iam a foro rediisse, quamquam spectatores lenonem nec ad forum euntem, nec a foro redeuntem viderunt.

Eodem artificio Plautus ib. IV, 5, 5—7, ubi Toxilus Sagaristioni conservo, qui Persae personam agit, mandat ‚Simulato,

quasi eas prorsum in navem — — — — Per angiportum rursum te ad me recipito Illac per hortum', itaque fieri potest, ut Sagaristio V, 1 ex aedibus Toxili prodeat, quamquam IV, 6 ad portum abiit.

Pseud. IV, 7, 136—137 Ballio ad forum abit dicens spectatoribus ,nunc ne exspectetis, dum hac domum redeam via. Ita res gestat: ,angiporta haec certumst consectarier' itaque scaena, qua redeat, non desideratur.

Stich. III, 1, 40 sq. Stichus per hortum opsonatum abire et se opsonio empto eadem ad amicam transire velle praedicat[1]); itaque perspicitur, cur Stichus V, 1 ex aedibus amicae suae prodeat. Eadem via Pamphilippus IV, 2, 34 se ad fratrem transiturum esse dicit, ut cum ipso cenet. Qua re fit, ut fingere possimus Pamphilippum[1]) cum Epignomo, uxoribus et Antiphone patre domi Epignomi cenam habere, dum actu fabulae V servi et ancilla in scaena epulantur.

Ep. v. 660 Epidicus Thesprionem conservum, qui I, 1, 80 in aedes vicinas abiit (cf. v. 65), domum per hortum abire iubet clamans ,Thesprio, exi istac per hortum: abi domum'; sed cum Thesprio non iam ex aedibus heri sui in scaenam prodeat, is per hortum domum redeat opus esse non videtur.

Suspicor quidem hanc componendi rationem a Plauto poetis Graecis deberi, nam Terentius quoque eodem artificio semel quantum video, usus est: Adelph. 908—920 Syrus puerperam domum Demeae per hortum transducere iubetur, qua re perficitur, ne puerpera in scaenam prodeat necesse sit.

Sed tamen Plautum eam rationem etiam suo arbitrio adhibuisse Cas. III, 4 probari videtur. Ubi III, 4 Murrhina, quam arcessere Cleostrata iussa erat, nondum arcessita esse ad Cleostratam debebat, ne causa altercationis, quae III, 4 inter duos maritos agitur, deesset; in fine III. 4 maritus Murrhinae satis

1) ,Potius quam invidiam inveniam, est etiam hic ostium Aliud posticum nostrarum harunc aedium: Ea ibo obsonatum atque eadem referam obsonium: Per hortum utroque commeatus convenit.' (40—43).

rixatus domum abit, ut uxorem ad vicinam transmittat; sedtamen scaena insequenti Pardalisca ex Cleostratae aedibus egressa v. 47 ,Era atque haec dolum ex proxumo hunc protulerunt' spectatoribus indicat, Murrhinam iam apud Cleostratam esse easque dolum excogitasse, quo senem terrerent. Sed ut spectatoribus Murrhina iam apud vicinam esse videatur, quamquam non per scaenam transierat, Plautus caute Alcesimum vicinum dum abit dicentem facit vv. 613—614 ,ego iam per hortum iussero Meam istuc transire uxorem ad uxorem tuam'. Atque hoc artificio Plautus simul effecit, ut spectatores ne animadverterent quidem, nedum offenderent, eum hoc loco temporis rationi male consuluisse, cum verbis Pardaliscae eluceret, Murrhinam iam diu apud vicinam ad machinam struendam, dum III, 4 agitur, fuisse, verbis autem Alcesimi, eam post III, 4 ad vicinam missam esse.[1]) Cum hanc fabulae partem a Plauto insertam esse supra probaverimus, nonne suspicari licet, Plautum hoc quidem loco suo consilio illud artificium adhibuisse?

Redeo nunc ad eas Plauti fabulas, in quibus haec componendi ratio, quae in ceteris fabulis Plautinis tanta cura observatur, plane neglecta est; quantum investigare potuimus, hae sunt: Asinaria, Bacchides, Truculentus. As. enim I, 3 Argyrippus ad forum abit, II, 2 domi Philaenii est, quamquam neque per scaenam neque per hortum rediit Truc. II, 2 (v. 313) Stratulax ad forum it, III, 1 domo exit, quamquam, quando redierit, non perspicitur; Bacch. II, 3 Nicobulus ad forum se confert, nulla scaena redit, tamen Nicobulum in fine III, 4 domi esse Plautus finxit.[2])

1) Eadem ratione Langrehrus locum explicuit, l. c. contr. Langen. p. 126 disputans.

2) Huc non spectat Poen. v. 929, ubi Milphio se opperiri, dum herus a foro adveniat, dicit, quamquam herus paulo ante domum intravit (III, 6) et paulo post domo exit (V, 2); vv. 923—929 retractatoris esse videntur; cf. Langen. p. 190. Neque magis Capt. V, 1 huc referre licet, nam puer, qui V, 1 abit neque vero redit, postea non iam in scaenam prodit.

Quid de his locis iudicandum est? Utrum Plauto an retractatoribus vitio vertemus, in his fabulis rationem solitam neglegi? Equidem Plauto culpam tribuo; nam in Truculento Plautum, non retractatorem, eas partes, quibus ingenium Stratulacis commutaretur, omisisse supra probavimus (p. 107); quae partes cum pertineant a II, 2, qua Stratulax ad forum abit, ad III, 1, qua iam domo exit, apparet, Plautum, non retractatorem, scaenam qua Stratulax a foro in exemplari Graeco rediit, omisisse. Item iudico de Bacchidibus: Plautus partem fabulae Graecae omisit, in cuius locum aliam inseruit; deinde aliena apte coartare neglexit. Idem de As. sentio; Spengelius scaenam excidisse coniecit; sed suspicio eius nullo argumento probatur; Ribbeckius Argyrippum intervallo, quod inter duos actus est, rediisse censet. Utrumque errare ex eis quae supra demonstravimus patet. Legem, quam Plautus in aliis fabulis constanter secutus est, in Bacch. Truc. Asin. socordia non respexit. Quae cum ita sint, etiam hac re, ut multis aliis vestigiis, quae Goetzius et Loewius praef. p. XXIII—XXIV ostenderunt, perspici contendo, Asinariam a Plauto contaminatam esse;[1]) Plautus nonnullas fabulae Graecae partes eiecit, alias inseruit.

Sed nunc ad Bacchides redeo. Apparet, nonnullas partes Bis decipientis a Plauto omissas esse. Quod apte congruit cum eo quod supra vidimus, Lydi personam a Plauto insertam esse. Itaque non solum I, 2 et III, 1 sed etiam III, 3 a Menandri fabula alienas fuisse iudico idque quamquam scaena III, 3 cardo fabulae vertitur, quippe qua efficiatur, ut Chrysalus senem bis decipiat necesse sit.

---

1) Indiciis, quae G. et L. attulerunt, hoc addo, v. 634, Diaboli militis mentionem fieri (‚Argenti‘ inquit Argyrippus ‚viginti minae med ad mortem adpulerunt, Quas hodie adulescens Diabolus ipsi daturus dixit‘; sed, nisi fabulam contaminatam esse concedimus, videri non potest, cur non I, 3 ubi Cleaereta et Argyrippus de pretio pro Philaenio solvendo agunt, Diabolus memoretur (cf. v. 231); scaenas 2 et 3 et actum quintum, quo Philaenei persona in malam partem mutata est, ab exemplari Graeco afuisse puto.

Sed quomodo Menander effecisse videtur, ut Chrysalus senem bis decipere cogeretur? Suspicari quidem licet haec: Fragmento ‚sicut lacte lactis similest,‘ de quo supra egimus, iudicatur Bacchidem II sorori quam simillimam esse. In fabula Plautina servus hac similitudine cognovisse videtur, Bacchidem II herae suae sororem esse. Sedtamen praeterea fieri potuit, ut in fabula Menandri nodus hac similitudine necteretur eadem ratione, qua in Amph., Men., Mil., ut altera persona pro altera haberetur.[1]) Itaque suspicor, in fabula Menandri servum aliquem Mnesilochi Pistoclerum cum Bacchide I accubantem eamque osculantem vidisse; cum Bacchidem I sibi nondum notam propter similitudinem pro Bacchide II, amica heri sui, haberet, herum de iis, quae conspexerat, certiorem fecit. Quo factum est, ut Mnesilochus simultate excitatus patri aurum redderet, cum Bacchides sorores simillimas esse et Pistoclerum alteram amare nondum cognovisset.

Sed si cui veri dissimile videtur, Plautum personam Lydi quippe qua ad nodum fabulae conectendum careri non posset, non ex Menandri Bis decipiente sumpsisse, sed ipsum aliunde inseruisse, opponendum est, in Terentii Eunucho personis militis et parasiti ad nodum fabulae conectendum careri non posse, attamen Terentium ipsum in prologo profiteri, se eas personas non ex Eunucho sed ex Colace transtulisse (prol. v. 30 sq.). Nodum autem Eunuchi Terentianae per militis et parasiti personas necti perspicitur, si argumentum fabulae breviter exponimus: Primo enim actu Phaedria propter militem ab aedibus Thaidis meretricis prohibetur itaque rus abit. Secundo parasitus virginem, cui postea eunuchus falsus vim infert, a milite donatam ad Thaidem adducit. Tertio virgine et eunucho in aedes inductis Thais ad militem comissatum abit. Etiam frater virginis a Thaide arcessitus ad militem abit. Quarto Dorias a milite reversa rixam inter militem et Thaidem ortam memorat, Phaedria rure redit, ancilla facinus eunuchi narrat. Insequuntur

---

1) v. s. p. 4 sq.

in scaena altercatio inter militem et Thaidem. Quinto actu virgo Chraereae, qui eunuchi personam egerat, spondetur, miles et Phaedria de amore Thaidis fruendo inter se conveniunt.

Cuius argumenti cum omnia optime inter se cohaereant, quis est qui Terentii Eunuchum inter fabulas contaminatas habere auderet, nisi Terentius ipse memoriae prodidisset, se militem et parasitum ex Colace transtulisse? atque quis suspicari auderet, personas militis et parasiti, quibus nullo modo careri posse videtur, ex alia fabula translatas esse atque ceteras personas!

Haec de Lydi persona satis; nunc venio ad Chrysalum. Is qui tam callide Nicobulo bis os sublinit, iure cum Epidico et Pseudolo comparatur, atque Menander fabulam, cui Plautus nomen ‚Bacchidum‘ indidit, e Chrysali persona Δἰς ἐξαπατῶντα nominavit. Quae cum ita sint, nonne exspectari debet, Chrysalum apud Menandrum etiam in ultimo fabulae actu prodiisse, sicut Epidicum et Pseudolum [1]) in fabulis, quae ab iis nomen habent? Nonne existimandum est, apud Menandrum a Chrysalo nodum solutum esse, non a Bacchidibus? Rectissime enim Ritschelius opuscl. II, 742 (Zur Charakteristik des Pl. und Ter.) monuit „Dass aber der freundliche Schluss des Stückes eigentlich durch die Niederträchtigkeit der beiden Alten herbeigeführt wird, ist eine Wendung, über die sich Chrysalus am meisten zu beklagen hätte, da seiner Geschicklichkeit wohl dieser Lohn gebührte.“ Certe mirum est, quod Chrysalus in fine IV, 9 triumphans in aedes Bacchidem abit non veritus, ne senex in foro a milite non uxorem militis sed meretricem a Mnesilocho amari atque se misere a Chrysalo deceptum esse comperiret, [2]) neque in quinto actu denuo in scaenam prodit. Quam ob rem ita res se habere

1) Eodem modo res se in Most. habet.

2) Primum Chrysalus Nicobulum II, 3 decepit mentiendo aurum Ephesi ab Archidemide hospite acceptum ibidem in templo relictum esse. Auro postea a Mnesilocho patri reddito, Chrysalus mentitur, uxorem militis a Mnesilocho amari atque ei periculum a milite imminere, itaque Nicobulus Bacchidem II a milite emit; in fine IV, 9 abit, ut in foro militi aurum solvat.

videtur, ut Plautus nomen fabulae mutaverit, quod non ut in fabula Menandri Chrysalus qui bis Nicobulum decipit, fabulae nodum solvit sed Bacchides meretrices. Quod si recte suspicamur, scaena fabulae ultima, qua senes a Bacchidibus reconciliantur, a Plauto fabulae Menandri adiuncta est. Neque enim aliam rationem, qua inductus Plautus fabulam non ‚Chrysalum,‘ qui Menandri Δἰς ἐξαπατῶν est, sed ‚Bacchides‘ nominaverit, video. [1]) Quacum re consentit, quod Plautus in Bacch. I, 1 meretrices tales finxit, ut aurum e Pistoclero elicere vellent (v. s. cp. II.); nam Plautus in I, 1 componenda ignorare non iam debuit, se cum hac argumenti parte non amplius usurus esset, rem plane inutilem fingere.

Quae cum ita sint, optimo iure contendere mihi videor, Bacchides contaminatam esse. Nam et eae partes, in quibus Bacchides, et eae, in quibus Lydus in scaenam prodit, non a Menandri Δἰς ἐξαπατῶντι sed aliunde a Plauto translatae esse videntur.

1) Neque enim concedere licet, Plautum hunc titulum maluisse, ut Menandrum, quem titulum minus aptum fabulae indidisse putaret, emendaret.

Index

rerum quae hoc libello continentur:

Vita.

Josephus Baar Hannoveranus natus sum in vico comitatus Lingensis Wettrup a. d. XIII. Kal. April. a. LXI patre Antonio, matre Anna Maria e gente Strodtmann. Patrem adhuc vivum veneror, matrem praematura morte mihi abreptam esse etiam nunc doleo. Fidem profiteor catholicam.

Elementis litterarum imbutus sum in gymnasio Meppensi. Maturitatis testimonium adeptus autumno a. LXXX almam matrem Gottingensem adii, ut studiis philosophicis et historicis me darem. Hic per sex menses moratus Munichiam migravi, post aestatem autem a. LXXXI Berolinum me contuli, ubi per ter senos menses litteris, quas vocavi operam dedi. Autumno a. LXXXV examine pro facultate docendi absoluto, Duesseldorfii candidati probandi, deinde Haseluennae, tum Hachingae Sueborum praeceptoris munere functus sum; nunc magistris gymnasii realis qu. v. Duisburgensis adscriptus sum.

Docuerunt me Gottingae W. Mueller †, Sauppe, Volquardsen, Munichiae de Giesebrecht †, Heigel, Berolini Bresslau, Delbrueck, Dilthey, Droysen †, Kiepert, Koser, Paulsen, Scherer †, de Treitschke, Weizsaecker †, Zeller. Quibus omnibus gratias ago maximas semperque me habiturum profiteor. Praeter quos gratias ago Georgio Goetzio, professori Jenensi, qui me ad studia Plautina incitavit, et Bruns, professori Kiliensi, cuius operae quantum in hoc libello scribendo debeam nunquam obliviscar.

Sententiae Controversae.

I.

Casina Plautina contaminata est.

II.

Errant qui in Truculento Plautina inter II, 2 et III, 2 partem fabulae a retractatore eiectam esse contendunt.

III.

Die landläufige Ansicht über den Kurverein zu Rhense ist irrig.

IV.

In der Urk. K. Rudolfs v. 6. Oct. 1290 ist bei der Aufzählung der Vorfahren K. Wenzels der Vater absichtlich übergangen.

V.

Nego Cornelii Nepotis de excellentibus ducibus librum a discipulis quartae gymnasiorum classis cum fructu legi.